


Preces

PRECES SELECTAE

IN

USUM SACERDOTUM.

Dilingae, 1846.
Sumtibus Jos. Friedrich.



Typis C. Kraenzle.

INDEX.

PRECES SELECTAE.

PRECES MATUTINAE.

Ut primum evigilas, muni te signo S. Crucis.

In nomine Patris, et Filii, et spiritus S. Amen.

Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo: Sitivit in te anima mea, etc.

Benedicta sit S. et individua Trinitas, nunc, et semper, et per infinita saecula saeculorum. Amen.

Gloria Patri, qui creavit nos.
Gloria Filio, qui redemit nos.
Gloria Spiritui S., qui sanctificavit nos.

Inter surgendum dic:

In Nomine Domini nostri Jesu Christi surgo, ipse me benedicat, regat, custodiat, et ad vitam perducat aeternam. Amen.

Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria. Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna custodi, rege, et guberna.

Inter induendum vel recita **Ps. Miserere, De profundis, etc.** vel mysterium

aliquod vitae aut potius Passionis Domini considera.

Postquam vestitus es.

Sis gratus SS. Trinitati.

Adoro, laudo, et glorifico te, o SS. Trinitas, et gratias ago, quod te protegente noctem hanc incolumis transegerim. O quam multi peccatores eadem hac nocte mortui et merito suo aeternum sunt damnati! Quid tibi, o summum bonum meum, rependam, quod me tam singulari amore dignatus es? Tu, quaeso, o piissima Mater, castissimaque Virgo Maria, tuque, o Angele custos, et vos, Patroni mei... laudate et glorificate Dominum meum nunc, et semper, Amen.

Cor offer coelesti Patri.

O Pater aeterne, tibi cor meum et omnes animae vires, corporisque sensus, et quicquid in me est, lubens volens offero: suscipe me creaturam tuam, omniaque mea in unione dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi. O Pater, quando veniam et apparebo in conspectu tuo!

Opus dispone futurum, juxta doctrinam et exemplum Christi.

O dulcissime Jesu, qui es Via, Veritas et Vita: en firmiter statuo viam mandatorum tuorum currere, ac hoc praesertim pietatis munus hodie obire..... Universa et singula nominis tui gloriae adscribo. O Jesu, spes et vita mea, utinam te hodie et omni tempore, quoties spiri-

tum traho, amare, venerari, glorificare, omnesque creaturas ad tui laudes adducere possim! Suscipe o Jesu, hanc voluntatem meam, tuisque infinitis meritis defectus meos supple.

Vita peccatum, Spiritus S. ope.

Veni S. Spiritus, solatium atque robur animae meae, ut cunctis tentationibus fortiter resistam. Ergone peccatum hoc ... sciens, ac volens repetam? heu! nimis crebro in illud incidi: constantem ab hoc die emendationem spero. Gratiae tuae ope mihi assiste, o S. Spiritus, ita super aspidem et basiliscum ambulabo, et conculcabo Leonem et Draconem. Ps. 90, 13.

Subsidiumque pete ab omnibus Sanctis Dei.

Adeste mihi pariter, o Electi Dei omnes! bonis favete propositis, O Sancta Dei Genitrix Virgo Maria, una cum castissimo Sponso tuo, S. Josepho, et tu, S. Angele, fidelis mei custos; vosque pariter Patroni mei singulares, Ss. NN., et vos, quorum hodie memoria agitur, auxiliatricem mihi manum porrigite, incautum monete, errantem in viam reducite, ut cuncta, quae apud me statui, reipsa hodie exequar. Tu cunctis aspira, Deus meus, et omnia!

Pater noster, etc. Ave, etc. Credo, etc.

Dignare, Domine, die isto sine peccato nos custedire. Miserere nostri Domine, miserere nostri. Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te. In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.

Commendatio ad Jesum.

O amabilissime Jesu, ego me hodie, et semper in manus tuas commendo; quemadmodum tu moriens in Cruce te in manus Patris, et beatissima Mater tua se tibi commendavit. Fac, ut secundum voluntatem tuam vivam, et in te moriar, utque idem omnibus tam inimicis, quam amicis meis concedas, oro: maxime his ... per merita Passionis et mortis tuae, perque dulcissimae Matris tuae et Sanctorum omnium intercessionem, Amen.

Benedictio.

Benedic me, pie Jesu, cum Patre et Spiritu sancto, et perduc ad vitam aeternam, Amen.

Praeparatio ad Missam.

Ex Missali Romano.

Ant. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris. Tempore Paschali additur Alleluia.

Psalmus 83.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum et caro mea: exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum: Rex meus et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua, Domine: in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum: in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster aspice, Deus: et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis: super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei: magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus: gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 84.

Benedixisti, Domine, terram tuam; avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuae: operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuae.

Converte nos, Deus, salutaris noster: et averte iram tuam a nobis.

Numquid in aeternum irasceris nobis? aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus, tu conversus vivificabis nos: et plebs tua laetabitur in te.

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam: et salutare tuum da nobis.

Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos: et in eos qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi: justitia et pax osculatae sunt.

Veritas de terra orta est: et justitia de coelo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit: et ponet in via gressus suos.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 85.

Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me: quoniam inops et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die: laetifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

Quoniam tu, Domine, suavis et mitis: et multae misericordiae omnibus invocantibus te.

Auribus percipe, Domine, orationem meam: et intende voci deprecationis meae.

In die tribulationis meae clamavi ad te: quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis, Domine: et non est secundum opera tua.

Omnes gentes, quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine: et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu et faciens mirabilia: tu es Deus solus.

Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua: laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo: et glorificabo nomen tuum in aeternum.

Quia misericordia tua magna est super me: et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quaesierunt animam meam: et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu, Domine Deus, miserator et misericors: patiens et multae misericordiae et verax.

Respice in me, et miserere mei: da imperium tuum puero tuo: et salvum fac filium ancillae tuae.

Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me, et confundantur: quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 115.

Credidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino, pro omnibus quae retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni po-

pulo ejus: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus: ego servus tuus, et filius ancillae tuae.

Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis: et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: in atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 129.

De profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes, in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est, et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, etc.

Ant. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster, etc.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.
V. Ego dixi, Domine, miserere mei.
R. Sana animam meam, quia peccavi tibi.
V. Convertere, Domine, aliquantulum.
R. Et deprecare super servos tuos.
V. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.
R. Quemadmodum speravimus in te.
V. Sacerdotes tui induantur justitiam.
R. Et sancti tui exultent.
V. Ab occultis meis munda me, Domine.
R. Et ab alienis parce servo tuo.
V. Domine, exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Aures tuae pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris, et gratia sancti Spiritus illumina cor nostrum; ut tuis mysteriis digne ministrare, teque aeterna caritate diligere mereamur.

Deus, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum: purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri; ut te perfecte diligere, et digne laudare mereamur.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine: ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quaesumus, Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet: et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

Adsit nobis, quaesumus, Domine, virtus Spiritus sancti, quae et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu

recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Conscientias nostras, quaesumus, Domine, visitando purifica: ut veniens Dominus noster Jesus Christus paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit, etc.

Preces ante Missam.

Die dominica.

D i r i g e intentionem. O summe ac potentissime Deus! in laudem et gloriam supremae Majestatis tuae; in memoriam sanctissimae vitae, passionis, ac mortis Jesu Christi, Salvatoris mei; in gratiarum actionem, pro omnibus donis et beneficiis tuis, mihi indigno peccatori, et toti Ecclesiae tuae concessis; in propitiationem, pro innumeris peccatis meis, pro salute mea et proximorum N. N., pro solatio quoque defunctorum N. N., etc. Ego indignus peccator, SS. Corporis et Sanguinis Filii tui Mysteria recolere, et recipere cupio. Vere, Domine, in te solo totum est, quod satiare possit cordis mei desiderium. Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Nonne tu ipse eris merces nostra magna nimis?

A c t u m e l i c e C o n t r i t i o n i s. Sed et sacrificium spiritus contribulati tibi, mi Domine, una cum sacrificio et sacramento Corporis et Sanguinis Filii tui, Salvatoris mei, humiliter offero. Doleo enim ex intimo corde, quod te Deum meum, summe bonum, et in me tam beneficum, ac toties in sacramento me reficientem, unquam offenderim peccatis meis, praesertim talibus N. et N., quae tu nosti, o scrutator cordium! sed et miser ego peccator, in amaritudine animae meae dolens confiteor. Utinam nunquam offen-

dissem te! Sed cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies; tu qui, amore nostri, dedisti nobis Unigenitum tuum, ut nos lavaret a peccatis nostris in sanguine suo.

Exerce actum Fidei. Equidem credo firmiter, o bone Jesu! et viva fide confiteor, quia tu ipse, Deo Patri aequalis in gloria et potestate, verus Deus et homo, vere et realiter praesens es in hoc Sacramento. Tu enim ipsa veritas dixisti: Hoc est Corpus meum. Credo quidquid dixit Dei Filius: nihil hoc verbo veritatis verius. Adjuva, Domine, incredulitatem meam, adauge mihi fidem.

Exerce Spem. O Christe Jesu! sum quidem ego pulvis, cinis, et peccator: sed tu, Pater es misericordiarum, et Deus totius consolationis. Quis unquam intellexit misericordias tuas? Nonne tu laborantes et oneratos vocas ad te, ut eos reficias? Nonne tu es refugium meum? Ad quem ergo ibo? Tu solus verba vitae aeternae habes: tu solus consolaris me, in omni tribulatione mea. Sum quidem aeger et infirmus: sed tu es salus mea: non est opus bene valentibus medico, sed male habentibus. Si solummodo pertransiens curabas omnes, si umbra Petri curabat infirmos, nonne ego confidere debeo, quia, te intrante sub tectum meum, et in me inhabitante cum plenitudine Divinitatis, sanabor ab infirmitatibus meis?

Igitur, cum nihil, te propitio, mihi conscius sum, surgo et vado ad te Patrem, medicum et refugium meum: sperans quod haec communio futura mihi sit fidei, spei et charitatis augmentum; contra insidias inimicorum meorum firmissima tuitio; turpium cogitationum effugatio; hujus defectus et vitii N. exterminatio; operum tibi

placentium, et praesertim hujus virtutis N. salubris efficacia; et tandem pignus futurae gloriae. Reposita est haec spes mea in sinu meo, quia miserator et misericors es et in promissis fidelissimus.

Exerce Caritatem. O dulcissime Salvator, Christe Jesu! quanta fuit tui vis amoris, quae te traxit e sinu Patris in hanc lacrymarum vallem, ut humanam carnem assumeres: infinitas miserias, injurias, imo crucem mortemque subires: idque solum propter miseros nos homines, et propter nostram salutem!

O quantus amor! Damnare nos poteras; et salvare maluisti! Nos rei eramus; et tu innocens subis supplicium, ut reos liberes!

Ex amore itaque ad nos in carnem venisti, et demum abiturus ex hoc mundo ad Patrem, in pignus amoris, hoc sacramentum nobis reliquisti; ut modo prorsus novo et admirabili, semper maneres nobiscum, tu, cujus deliciae sunt esse cum filiis hominum.

O Domine! quantum dignus es amari, qui tanta facis amore nostri! Diligam itaque te, Domine fortitudo mea, refugium meum, et liberator meus.

O Deus caritas! Qui in caritate manet, in te manet. Cupio te suscipere in hoc Sacramento, ut tibi firmius uniar amoris vinculo. Quis me separabit a caritate Christi, Salvatoris mei! Utinam hoc, nec vita, nec mors, nec ulla fortunae sors, aut ulla creatura valeat.

Exerce Humilitatem. Sed quomodo audeo accedere ad te? nonne tu, o Deus, Dominus, Creator ac Redemptor meus, Rex coeli et terrae etc. At quis ego? Vilis terrae vermiculus, pulvis et cinis, et, quod indignius est, toties

erga te inobediens, et ingratus peccator. Vere, Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed memento, Domine, quia cum esses Dominus omnium, assumpta servi forma, venisti ad nos, et familiariter egisti cum publicanis et peccatoribus; denique humiliasti temetipsum usque ad mortem. Illa, quaeso, te moveat humilitas, ut me vilem et humilem non despicias. Sed clementer ad me venias, aut venientem ad te benigne suscipias.

Postula Gratiam. O Pater aeterne! per merita Filii tui, concede mihi gratiam digne celebrandi Missam, et recipiendi non solum Sacramentum, sed etiam rem et virtutem Sacramenti. Offero tibi humilitatem et sanctitatem gloriosae semper Virginis Mariae, fervorem et devotionem omnium Sanctorum; ut illorum merita suppleant, quidquid mea non valet infirmitas.

Domine Jesu, propitius esto mihi peccatori; et sacris Mysteriis corporis et sanguinis tui fac me ita digne semper uti, ut copiosum inde fructum et robur contra omnes mundi, carnis ac daemonis insidias consequar; vitia, et haec N. N. maxime fugiam; virtutes vero statui meo maxime necessarias, velut caritatem, humilitatem, puritatem etc. diligentius exerceam, et fidelius tibi in dies servire studeam.

Spiritus sancte, Deus, adsit mihi virtus tua, quae cor meum clementer expurgans, dignum Christo Domino praeparet in me habitaculum, sicut fecit in beata Virgine Maria.

O sacratissima Virgo Maria! quae, Spiritu Sancto cooperante, Deum et hominem purissimis visceribus concipere et portare meruisti; fac, ut ego eum digne in hoc Sacramento recipere et

portare valeam, et ut consequar Spiritum hujus dilecti Filii tui.

O Sancti Dei omnes, et vos praesertim dilecti Patroni mei, succurrite mihi, quaeso, precibus vestris apud Deum, ut sic illum nunc in Sacramento possim recipere, ut aliquando eum in propria specie vobiscum merear videre. Fiat, fiat.

Feria II.

Invocatio S. Spiritus. Veni Sancte Spiritus, — et emitte coelitus, — lucis tuae radium. — Veni pater pauperum, — veni dator munerum, — veni lumen cordium. — Consolator optime, — dulcis hospes animae, — dulce refrigerium. — In labore requies, — in aestu temperies, — in fletu solatium. — O lux beatissima! — reple cordis intima — tuorum fidelium. — Sine tuo numine — nihil est in homine. — Nihil est innoxium. — Lava quod est sordidum, — riga quod est aridum, — sana quod est saucium. — Flecte quod est rigidum, — fove quod est frigidum, — rege quod est devium. — Da tuis fidelibus — in te confidentibus — sacrum septenarium. — Da virtutis meritum, — da salutis exitum, — da perenne gaudium. Amen.

V. Emitte spiritum tuum, et creabuntur.

R. Et renovabis faciem terrae.

Oremus. — Deus, qui corda Fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum.

Actus Contritionis. Domine Deus meus,

propitius esto mihi peccatori. Poenitet me peccasse: cupio emendare quod feci. Aufer a me, quaeso, omnes iniquitates meas, ut purificatus mente et corpore valeam ad Sancta Sanctorum introïre.

Actus Fidei. Domine Jesu Christe! qui es Sacerdos in aeternum, quique dixisti: Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus; ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti, et in hoc Sacramento praesens redderis. Adauge mihi fidem.

Actus Spei. In te solo spem meam colloco, dulcissime Jesu; quia tu salus et virtus mea, tu refugium et firmamentum meum, tu fons omnium bonorum. Miserere mei, et salva me, qui nunquam deseris sperantes in te.

Actus Charitatis. O quanta vis amoris cor tuum succendit, amantissime Jesu! cum transiturus de hoc mundo ad Patrem mensam parasti nobis habentem omne delectamentum, et omnem saporem suavitatis! Pro hac tua ineffabili benignitate, amo te, Deus meus: et ut nunquam cessem amare te, amorem meum te ipso inflamma, qui esca et pabulum amoris es.

Actus Desiderii. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Salvator meus, Domine Jesu. Trade te mihi, et sufficit. Nam praeter te nulla consolatio valet. Sine te esse nequeo, et sine visitatione tua vivere non valeo.

Actus Humilitatis. Immense, tremende, potentissime et incomprehensibilis Deus, quis es tu? et quis sum ego, ut digneris venire ad me, mecum epulari, et mansionem apud me facere? Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum

meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Intentionum Directio. Domine Jesu Christe, in unione illius divinae intentionis, qua ipse in ultima coena, et in ara crucis sacrificium Corporis et Sanguinis tui Deo Patri obtulisti, hoc idem sacrificium ei offerre intendo. Complaceat sibi, o Jesu! in te, et per te propitius nobis sit in vitam aeternam.

Te precor Domine Jesu Christe, pro omnibus illis, pro quibus orare decrevi, et quibus sum conjunctus, et qui mihi conjuncti sunt spirituali participatione, consanguinitate, affinitate, familiaritate, commendatione, devotione, eleemosynarum largitione, qui pro me orant, pro quibus debitor sum; et qui se commendarunt orationibus meis; pro cuncto populo christiano, et pro dioecesi nostra; pro omnibus Praelatis sanctae Romanae Ecclesiae, et universo Clero, ut eos in tuo sancto servitio humiliter, fideliter et devote perseverare facias; pro omnibus fidelibus christianis, vivis atque defunctis, in quacumque angustia et tribulatione positis: miserere, et tribulatis succurre. Amen.

Deprecatio. Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine Jesu Christe, ego peccator de propriis meritis nihil praesumens, sed de tua confidens misericordia et bonitate, accedere vereor et contremisco. Nam cor et corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem et linguam non caute custoditam. Ergo, o pia Deitas! o tremenda Majestas! ego miser inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiae recurro, ad te festino sanandus; sub tuam protectionem fugio, et quem judicem sustinere nequeo, Salvatorem habere suspiro. Tibi, Domine, plagas meas

ostendo; tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa et magna, pro quibus timeo. Spero in misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice ergo in me oculis misericordiae tuae, Domine Jesu Christe, Rex aeterne, Deus et homo, crucifixe propter hominem: exaudi me sperantem in te; miserere mei pleni miseriis et peccatis, tu qui fons miserationis nunquam manare cessabis. Salve, salutaris victima, pro me et omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salve, nobilis et pretiose Sanguis de vulneribus crucifixi Domini mei Jesu Christi profluens, et peccata totius mundi abluens. Recordare, Domine, creaturae tuae, quam tuo sanguine redemisti. Poenitet me peccasse: cupio emendare, quod feci. Aufer a me, quaeso, clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata mea, ut purificatus mente et corpore, digne degustare merear Sancta Sanctorum: et concede, ut sancta praelibatio Corporis et Sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum sensuum regeneratio operumque tibi placentium salubris efficacia, animae quoque et corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen. S. Ambros.

Ad B. V. M. Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta Virgo Maria, inventrix gratiae, genitrix vitae, mater salutis; et per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostrae corruptionis: et humilitas tua, Deo tam grata, nostrae veniam impetret vanitati et superbiae. Copiosa caritas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum: et foecunditas tua gloriosa

foecunditatem nobis conferat meritorum. O Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra! tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta. Fac, o benedicta! per gratiam, quam invenisti, per praerogativam, quam meruisti, per misericordiam, quam peperisti, ut, qui te mediante, fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriae nostrae, te quoque intercedente participes faciat nos gloriae et beatitudinis suae Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen. S. Bern.

Ad Sanctos. Sancti Dei omnes, cives supernae patriae, succurrite infirmitati meae, fidem meam et spem roborate, excitate in me igniculum amoris vestri, induite me veste nuptiali, ornate me donis, quibus abundatis; ut sine rubore introire valeam in locum tabernaculi admirabilis, in aulam coelestis convivii, in conspectu divinae Majestatis. Amen.

Feria III.

Adora et gratias age. O dulcissime Salvator, Christe Jesu! adoro te in toto corde meo, gratias ago tibi ex intimis visceribus animae meae, quod tanta caritate nos misere perditos redemeris pretio Sanguinis tui; et in hujus amoris tui memoriam, nec non in pignus futurae gloriae, tam admirabili potentia, sapientia et bonitate dederis nobis in cibum et potum ipsum Corpus et Sanguinem tuum; denique ad haec divina Mysteria me vilissimum peccatorem in numerum tuorum Sacerdotum tua ineffabili clementia vocare dignatus sis.

Confundere. Sed eheu! infelix ego homo, qui hactenus tam indigne vocatione tua vixi et toties et tam graviter te Deum meum offendi peccatis meis, praesertim his N. N. At nunc de iis doleo ex intimo corde meo, ob amorem tui super omnia; et deinceps tibi soli servire, placere et adhaerere propono.

Offer. Proindeque nunc accedens ad mensam convivii tui, ex omni affectu cordis mei dignissimum sacrificium Corporis et Sanguinis tui, quod tu ipse semel pro nobis in ara Crucis obtulisti, pura et simplici intentione offero ad laudem et gloriam aeternae Majestatis tuae, in memoriam sacratissimae incarnationis, vitae, passionis et mortis tuae; in gratiarum actionem pro omnibus donis et beneficiis toti coetui Electorum et mihi, licet indignissimo, hucusque praestitis, vel unquam praestandis: in propitiationem peccatorum: pro salute quoque vivorum N. N. et solatio defunctorum N. N. Et utinam ex omni affectu, fervore et desiderio amicorum tuorum, seu jam regnantium in coelo, vel adhuc militantium in terris, hoc tam grande pietatis opus peragere possim!

Crede. Corde siquidem credo, mi Jesu, et ore confiteor, quia Pater aeternus, Deus in seipso summe beatus, potens, perfectus et nullius egens, secundum suam infinitam misericordiam sic dilexit mundum, ut te Filium suum unigenitum nobis daret Salvatorem. Credo quoque, quod tu ipse Patri aequalis per omnia, ex vi immensae caritatis tuae, de sinu Patris descendisti in uterum Virginis, et propter nos homines Homo factus es. Credo, quod ex amore nostri hoc Sacramentum in ultima coena instituens, verum Corpus et Sanguinem tuum, id est, teipsum nobis ad

manducandum dedisti: et denique Patri tuo factus obediens usque ad mortem, temetipsum pro nobis hostiam in ara Crucis obtulisti.

Spera. Ideoque spero in te et magna fiducia venio ad te, o Domine! qui nostri causa tam mira facere et tam dira pati voluisti. Quid enim negabis, qui sic amasti, ut teipsum dares?

Ama. Amo te quoque, o bone Jesu! ex tota virtute cordis mei et semper deinceps et in aeternum amabo, si tu dederis.

Offer teipsum. Sed quid retribuam tibi, Domine, pro tanto munere et pro omnibus, quae retribuisti mihi? Ecce abnego memetipsum, et totum me, id est, corpus, animam et omnia mea in omne beneplacitum benignissimae voluntatis tuae plene resigno. Verum quid habeo, quod non acceperim? Quid est homo, si comparetur Factori suo? Quid vilis creatura, vermis terrae, miser peccator, servus inutilis, poterit praestare Deo, Creatori ac Domino suo? Agnosco, quia pauper et inops sum: ideoque humilio me sub potenti manu tua. Tu vero, o Domine Jesu! utpote advocatus et mediator meus, dives in meritis et miserationibus, suscipe causam meam et ex thesauro immensae caritatis tuae fer opem inopiae meae; et pretium Sanguinis tui omniumque meritorum tuorum repraesenta aeterno Patri tuo; et hinc supple omnem defectum meum, praecipue hujus meae, heu! nimis modicae et imperfectae praeparationis, qua ad haec SS. Mysteria venio: ut sic ei per te placeat obsequium indignissimae servitutis meae.

Postula. Fac etiam, o bone Jesu! per omnes miserationes tuas, ut hoc tremendum Mysterium et admirabile donum caritatis tuae de-

bita semper fide, reverentia et gratitudine prosequar, idque puro et ardenti corde nunc et semper recipiam, statum hunc quoque sacerdotalem, ad quem me ex singulari gratia vocare dignatus es, caritate, castitate, humilitate, mansuetudine, patientia, sobrietate, etc. moribusque tibi placitis, et Sacerdote fideli dignis excolere studeam: idque, ut servitus mea magis tibi placeat ad majorem gloriam tuam, Ecclesiae utilitatem et propriam proximique salutem. Unde tandem supplex obsecro, ut per virtutem Corporis et Sanguinis tui abstrahas cor meum efficaciter ab omnibus noxiis affectibus N. N. qui gustum ac fructum hujus sacramenti impediunt, et intime tibi unias et incorpores: ut gustem, quam suavis sis, Domine, et unus tecum efficiar spiritus: ut tu in me, et ego in te maneam; adeoque nihil sit, quod me unquam valeat separare a te. Nam tibi adhaerere mihi bonum est, etc. Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? O pars mea, Deus, in aeternum!

Invoca Sanctos. Ad vos quoque, o Sancti, amici Dei, supplex confugio. Te inprimis, o sanctissima Dei Mater, Virgo et patrona mea, quae gratia plena, Deum et hominem purissimis visceribus tuis meruisti portare. Et vos, o Sancti N. et N. Patroni, mihi singulariter electi et dilecti, vos modo videtis illum facie ad faciem, et pleno ore manducatis panem illum, quem nonnisi per speculum in aenigmate aspicimus et speciebus velatum accipimus. Utinam vestro interventu adjutus, hoc coelesti pane et viatico digne saepius reficiar in via, ut tandem vobiscum eo satiari merear in Patria. Amen.

Feria IV.

Directio intentionis. Domine Deus, ego indignus servus tuus intendo hoc mane, quam maximo possum amoris, reverentiae et devotionis affectu, sanctissimum Missae Sacrificium Majestati tuae, cui soli debetur, offerre, juxta ritum sanctae romanae Ecclesiae; et ex nunc offero illud, una cum omnibus Sacrificiis tibi gratissimis simulque pretium Sanguinis Domini Jesu, merita beatae Virginis et omnium Sanctorum totiusque Ecclesiae preces et laudes; in unione illius Sacrificii, quod Christus in ultima coena instituit et in cruce consummavit, factus ipse Sacerdos et Victima; affectu et nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi et ejus Sponsae Ecclesiae, ex puro tui amore, ac desiderio tui beneplaciti semper et in omnibus perficiendi.

Offero tibi illud in protestationem supremae et increatae tuae excellentiae, dominii tui in omnes creaturas et nostrae subjectionis ac dependentiae a te: in gratiarum actionem omnium beneficiorum ulli unquam creaturae collatorum et conferendorum; in plenam abolitionem omnis injuriae ab ullo unquam tibi irrogatae vel inferendae; ac in cultum latriae tibi soli debitum, cum omnibus adorationibus Christi, beatae Virginis et omnium Angelorum et Sanctorum: item in augmentum gaudii humanitatis Domini nostri Jesu Christi, memoriam vitae, passionis ejusdem et in augmentum gloriae ac beatitudinis immaculatae Virginis, omniumque Angelorum et Sanctorum.

Offero etiam illud in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis mihi collatis; in satisfactionem pro peccatis meis, de quibus summopere

doleo, propter offensam et injuriam, quam tibi irrogavi: et pro omnibus meis praesentibus et futuris animae et corporis necessitatibus.

Offero demum pro omnibus vivis atque defunctis, pro quibus Dominus noster Jesus Christus et beata Virgo ejus Mater sciunt et volunt, ut sacrificem: pro parentibus, amicis, consanguineis ac benefactoribus meis: pro omni gradu sanctae catholicae Ecclesiae; pro christianorum principum unione, haereseon et schismatum extirpatione et omnium infidelium nationum conversione, pro totius cleri et omnium statuum religiosorum sanctificatione, conservatione et augmento; pro animarum in Purgatorio existentium liberatione; maxime autem pro N. N, qui eleemosynam dederunt aut reliquerunt, ut secundum eorum voluntatem hanc Missam celebrarem, quibus intendo hunc fructum applicare, quantum scis me posse vel debere.

Respice ergo in me indignissimum famulum tuum, quem pro vivis et defunctis legatione apud te fungi voluisti; ut defunctis requiem indulgeas et vivis veniam, gratiamque concedas tibi recte fideliterque serviendi, et in amore tuo usque in finem perseverandi. Amen.

Actus praecipuarum virtutum. Credo in te, Deus, prima veritas, propter infinitam auctoritatem tuam. Adoro te propter increatam excellentiam tuam. Spero in te propter immensam misericordiam tuam. Amo te propter summam bonitatem et amabilitatem tuam. Confundor et erubesco, quod te, bono infinito, non contentus, exigua et apparentia bona quaesierim. Doleo de peccatis meis propter te, quem super omnia diligo; et paratus tibi in hac vita satisfacere, propono, te adjuvante, plenam et perfectam

emendationem. Tibi gratias ago pro universis, quibus me cumulare non cessas, beneficiis. Quidquid habeo vel possideo, id tibi totum restituo ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum. Omnibus, qui me offenderunt, toto corde ignosco propter amorem tuum. Rogo te per sanctissimam Filii tui passionem, miserere animae meae in egressu suo, et perduc eam, omnibus sacramentis munitam, in vitam aeternam. Amen.

Invocatio. Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad sacramentum unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi: accedo tanquam infirmus ad medicum vitae, immundus ad fontem misericordiae, caecus ad lumen claritatis aeternae, pauper et egenus ad Dominum coeli et terrae. Rogo ergo immensae largitatis tuae abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare foeditatem, illuminare caecitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem; ut panem angelorum, Regem regum, Dominum dominantium tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animae meae. Da mihi, quaeso, Dominici Corporis et Sanguinis non solum suscipere sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti. O mitissime Deus, da mihi Corpus unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari, et inter ejus membra connumerari. O amantissime Pater! concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari.

Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus

sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen. S. Thom. Aquin.

Ad B. V. M. O Mater pietatis et misericordiae, beatissima Virgo Maria! ego miser et indignus peccator ad te confugio toto corde et affectu, et precor pietatem tuam, ut sicut dulcissimo Filio tuo in cruce pendenti adstitisti, ita et mihi misero peccatori et Sacerdotibus omnibus, hic et in tota sancta Ecclesia ipsum hodie offerentibus, clementer assistere digneris: ut tua gratia adjuti dignam et acceptabilem Hostiam in conspectu summae et individuae Trinitatis offerre valeamus. Amen.

Ad Sanctos. O Sancti et Sanctae Dei! quorum hodie memoriam in terris celebramus, ego miser et indignus peccator de vestris meritis confidens intendo hoc mane offerre sacrificium Corporis et Sanguinis D. N. J. C. pro vestro honore et gloria. Precor vos humiliter et devote, ut pro me hodie intercedere dignemini, quatenus tantum sacrificium digne et acceptabiliter offerre valeam et eum vobiscum et cum omnibus electis ejus in aeternum laudare merear. Amen.

Feria V.

Preces ex Imitatione Christi decerptae.

Admiratio. Audivi vocem tuam, Domine: venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. O Sancte Sanctorum! ecce tu inclinas te ad me; tu vis esse mecum; tu invitas ad convivium tuum; tu mihi dare vis coelestem cibum et panem Angelorum ad manducandum: non alium sane quam te ipsum, panem

vivum, qui de coelo descendisti, et das vitam mundo.

Laudatio. O invisibilis conditor mundi, Deus! quam mirabiliter agis nobiscum, quam suaviter et gratiose cum electis tuis disponis, quibus temetipsum in Sacramento sumendum proponis! Laetare anima mea et gratias age Deo, pro tam nobili munere et solatio singulari in hac lacrymarum valle tibi relicto.

Timor. Terrent me, Domine, delicta propria; et ad capienda tanta mysteria me reverberat impura conscientia mea. Provocat me dulcedo verborum tuorum; sed onerat me multitudo vitiorum meorum. Quis ego sum, Domine, ut ad te praesumam accedere? Quomodo ausus ero venire ad te, qui nihil boni mihi conscius sum, unde possim praesumere? Quomodo te introducam in domum meam, qui saepius offendi benignissimam faciem tuam, quam reverentur Angeli et Archangeli, quam metuunt sancti et justi?

Contritio. Peccavi, Domine, peccavi: miserere mei, ignosce mihi. Quid possum agere pro peccatis meis, nisi humiliter ea confitendo et lamentando et tuam propitiationem ardenter deprecando? Deprecor te, exaudi me propitius, Deus meus. Omnia peccata mea mihi maxime displicent: nolo ea unquam amplius perpetrare: sed pro eis doleo et dolebo, quamdiu vixero. Dimitte mihi peccata mea propter Nomen sanctum tuum. Ecce committo me misericordiae tuae, resigno me manibus tuis. Tu omnia delicta mea, quae a die, quo primum peccare potui, usque ad horam hanc commisi, pariter incende et combure igne caritatis tuae; dele universas maculas eorum; conscientiam meam ab omni delicto

emunda et restitue mihi gratiam tuam, quam peccando amisi; omnia mihi plene indulgendo et in osculum pacis me misericorditer assumendo.

Fides. Credo et confiteor, quia tu praesens es in altaris Sacramento, Deus meus, Sanctus Sanctorum, Creator omnium, et Dominus Angelorum. Quidquid intelligere non valeo, tibi Deo omnipotenti secure commendo: non fallis me, Deus meus. Et si talia essent opera tua, ut facile ab humana ratione caperentur: non essent mirabilia nec ineffabilia dicenda. O quam admirabilis operatio tua, Domine! quam potens virtus tua! quam ineffabilis veritas tua! Dixisti enim, et facta sunt omnia; et hoc factum est, quod ipse jussisti.

Spes. Super bonitate tua et magna misericordia tua, Domine, confisus, accedo aeger ad Salvatorem, esuriens et sitiens ad fontem vitae, egenus ad Regem coeli, servus ad Dominum, creatura ad Creatorem, desolatus ad meum pium consolatorem: sperans, quod in hoc Sacramento mihi conferatur spiritualis gratia, et reparabitur in anima mea virtus amissa, et per peccatum deformata redibit pulchritudo, et demum conservabitur cor meum et corpus immaculatum.

Caritas. O dilecte mi! da me pro te omnes dilectos relinquere et te solum super omnia amare et te mihi viventi et morienti amicum retinere. Esse sine te, gravis est infernus; et esse tecum, dulcis paradisus. O thesaurus bonus! O bonum super omne bonum! O Deus meus et omnia! Intelligenti satis dictum est; et saepe repetere jucundum est amanti. Purifica, laetifica, clarifica et vivifica spiritum meum cum suis potentiis ad inhaerendum tibi jubilosis excessibus.

Desiderium. Ecce, Domine, in te est totum, quod desiderare possum et debeo. Tu salus mea et redemptio, spes et fortitudo, decus et gloria. Desidero te nunc devote ac reverenter suscipere. Cupio te in domum meam inducere; quatenus cum Zachaeo merear a te benedici ac inter filios Abrahae computari. Anima mea corpus tuum concupiscit: cor meum tecum uniri desiderat. Noli avertere faciem tuam a me; noli visitationem tuam prolongare: noli consolationem tuam abstrahere. Veni, Domine, veni ad pauperculum tuum, et laetum fac eum: veni, et satia me tua praesentia. Quamdiu hoc datum non fuerit, nec plenum gaudium erit.

Invocatio. O beatissima gratia! quae pauperem spiritu virtutibus divitem facis, veni, descende ad me, reple me nunc consolatione tua; ne deficiat, prae ariditate mentis, anima mea. Obsecro, Domine Deus meus, praeveni servum tuum in benedictionibus dulcedinis tuae; ut ad tuum magnificum Sacramentum digne ac devote merear accedere. Excita cor meum in te, et a gravi torpore exue me. Quidquid mihi deest, Jesu bone, Salvator sanctissime, tu pro me supple benigne ac gratiose. Da pauperi mendico tuo vel interdum modicum de cordiali affectu amoris tui in sacra communione sentire; ut fides mea magis convalescat, spes in bonitate tua proficiat, et caritas semel perfecte accensa et coeleste manna experta nunquam deficiat.

Oratio ad B. V. M. O intemerata et in aeternum benedicta, singularis atque incomparabilis Virgo genitrix Maria, gratissimum Dei templum, Spiritus sancti sacrarium, janua regni coelorum; per quam, post Deum, totus vivit orbis terrarum! Inclina, Mater misericordiae, aures

tuae bonitatis indignis supplicationibus meis et esto mihi miserrimo peccatori pia et propitia in omnibus auxiliatrix; et in hac praesertim hora, qua dilectum Filium tuum, Dominum nostrum Jesum Christum, aeterno Patri oblaturus sum, ut nempe eum digne et acceptabiliter offerre valeam. Amen.

Ad omnes Angelos et Sanctos. Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes coelorum, Cherubim atque Seraphim, omnes Sancti et Sanctae Dei, imprimis dilecti Patroni, intercedere dignemini pro humili servo vestro, ut hoc Sacrificium Deo omnipotenti digne valeam offerre, ad laudem et gloriam Nominis sui, ad utilitatem meam totiusque Ecclesiae suae sanctae. Amen.

Directio Intentionis. Ego volo Missam celebrare et conficere Corpus et Sanguinem D. N. J. C. juxta ritum sanctae romanae Ecclesiae, ad laudem omnipotentis Dei totiusque Curiae triumphantis, ad utilitatem meam totiusque Ecclesiae militantis et patientis, pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis in genere et in specie; et pro felici statu sanctae romanae Ecclesiae. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitae, spatium verae poenitentiae, gratiam et consolationem Sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus, cor contritum et humiliatum atque felicem vitae meae consummationem tribuat mihi omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Feria VI.

Postulatio Gratiae. Deus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, a Ju-

daeis reprobari, a Juda proditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad caedem duci atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis caedi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari et lancea vulnerari: Tu, Domine, per has sanctissimas poenas tuas, quas ego indignus recolo, et per sanctam Crucem et Mortem tuam, in cujus memoriam et gratiarum actionem Sacrificium offerre volo; libera me a peccatis meis; ut sancte et acceptabiliter altari tuo assistam. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Contritio. O dulcissime Deus, Creator ac Salvator meus, doleo ex intimo corde, quod unquam offenderim te Dominum ac Deum meum, te, quem amare debeo super omnia, quia et super omnia bonus es et plurima mihi bona tribuisti: et eheu! infelix et ingratus ego peccator, non retribui, nisi mala pro bonis.

Verum propitius esto peccatis meis, Domine: nunc enim firmiter statuo ac propono non amplius te offendere omnesque peccandi occasiones fugere: ideoque nunc hoc Sacramentum sumere cupio, ut in amore tui confirmer et contra omnes peccandi occasiones muniar, ut tu in me, et ego in te maneam.

Actus virtutum. O sapientia infinita! o aeterna Veritas! Bonitas immensa! quae nec falli, nec fallere potes: credo in te et credo tibi in omnibus, quae revelasti et per ecclesiam mihi credenda proponis. Imprimis vero credo, te in sanctissimo hoc Sacramento esse praesentem;

prout apertis verbis asseruisti, quibus plus tribuo quam ingenio meo omnibusque sensibus. Pro hac fide, per tuam gratiam, mori sum paratus.

Spero in te, o bonitas infinita! teque per inexhaustam misericordiam tuam, veniam, gratiam et gloriam mihi promissam daturum confido.

Amo et amabo te et omnia, quae tu amas, propter te, o fons infinite omnis boni; quia tu omni amore dignus es.

Gaudeo de infinita perfectione, beatitudine et amabilitate tua, et de omni obsequio, laude, honore et gloria tibi ab electis tuis et creaturis omnibus unquan reddita et in aeternum reddenda. Te tuumque in omnibus beneplacitum amplector; omnique possibili reverentiae, fiduciae, amoris et pietatis affectu veneror et exosculor.

Quidquid in me est affectus erga creaturas, in te solum transfero. Quidquid egero in omnem aeternitatem aut passus fuero, cedat ad tuam gloriam. Totus tuus sum: fac de me, quidquid vis, nunc et in aeternum. Amen.

Directio intentionis. Ad laudem et gloriam Sanctissimae Trinitatis, in memoriam Salvatoris nostri Jesu Christi, Vitae, Passionis, Mortis et Resurrectionis, ac in operum et meritorum suorum omniumque Sanctorum unionem: ad laudem quoque et exaltationem beatissimae Virginis Mariae, coelestium Angelorum, Sanctorum atque Sanctarum, et signanter N. N. et aliorum Sanctorum, offero etiam cum ipsorum beatorum Spirituum laudibus, Sanctorumque omnium precibus et meritis, nunc et semper, hoc et omnia alia sacrificia, officia, orationes et bona opera totius mundi pro meis praesentibus et futuris

animae et corporis necessitatibus, in auxilium et consolationem meam et in remissionem omnium peccatorum meorum, quorum veram contritionem semper habere intendo, conor et cupio: pro salute quoque meorum parentum et consanguineorum, amicorum, inimicorum, benefactorum in spiritualibus et temporalibus, ac illorum, quibus fui gravamen, scandalum et occasio peccandi: pro omni gradu sanctae catholicae Ecclesiae ac illius conservatione, augmento et exaltatione, christianorum Principum unione, haereseon extirpatione, Summi Pontificis salute et animarum in purgatorio existentium liberatione, pro conservatione et augmento omnium religionum; pro conversione omnium infidelium; pro mihi commissis et commendatis: denique pro illis omnibus vivis atque defunctis, pro quibus Dominus noster Jesus Christus scit et vult me debere orare et sacrificare: sic oro et obsecro ac orare, obsecrare et sacrificare intendo atque propono, juxta intentionem sanctae catholicae Ecclesiae, ego N. minister, licet indignus. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Oratio ad Spiritum sanctum. Spiritus gratiae et misericordiae, Spiritus sancte Deus, ecce accedo ad sanctum altare, locum terribilem et metuendum: sed quia sine te non possum in ministrando gratus apparere, tu me, quaeso, virtute et operatione tua ad digne sacrificandum praepara. Illabere igitur in cor meum et me dignum effice. Veni mundator scelerum, curator vulnerum, veni sanctissime Spiritus et aufer a me, quidquid tibi, Patri et Filio in me displicet; et infunde charismatum tuorum pretiosissima dona, quibus adjutus, et sancte celebrare valeam et postmodum secundum voluntatem Jesu vivere.

Ad B. V. M. Gloriosissima Mater Dei, Virgo Maria, tota fiducia mea et unicum solatium languentis animae meae, precor te, ut mihi miserrimo peccatori assistere hac hora digneris, qua pretiosissimum Filii tui Corpus et Sanguinem aeterno Patri oblaturus sum; sicut amans ac dolens eidem Filio tuo in cruce pendenti et se pro nostra salute offerenti adstitisti. Ne me despicias Mater misericordiae, ob intolerabilem peccatorum meorum foeditatem, neque avertas faciem tuam a me, quem Filius tuus tanto amore dilexit, ut pro me mori dignatus sit.

Ad omnes Sanctos. Omnes Sancti et Sanctae Dei, qui beatifica jam visione aspicitis, honoratis et adoratis, quem nos hic interim non nisi sub speciebus et quasi in aenigmate videmus; orate pro me, ut per salutiferum hujus sacramenti usum vestro semel dignus consortio inveniri merear.

Sabbato.

Adoratio. O Deus trine in Personis et unus in Essentia, et tu Domine Jesu Christe, verus Deus et Homo, ex toto corde te adoro et confiteor, te meum esse verum et unicum Creatorem, Salvatorem et meum ultimum finem; et quia adoratio mea nimis exigua et debilis est, tibi offero excellentes illas adorationes, quas continuo tibi persolvit tua sanctissima Humanitas et tua gloriosissima Genitrix Virgo Maria, totaque curia coelestis ac sancta Ecclesia catholica, tua dilecta sponsa. S. Franciscus Salesius.

Amor. Insuper o Domine, ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus te amo et

super omnia amare desidero; et si possibile esset, te amare cuperem illo amore perfectissimo, quo teipsum amas et quo tua sanctissima Humanitas et gloriosissima Virgo Maria cum tota coelesti curia et sancta Ecclesia catholica te amant. S. Franc. Sales.

Contritio. Et cum, o Domine, sis infinite bonus, sapiens, potens, justus et misericors, ideo ex toto corde doleo et super omnia detestor omnia mea peccata mortalia et venialia, quae unquam cogitatione, verbo et opere, a primo instanti, quo usum rationis habui, usque ad praesentem horam commisi. Et loco mei imperfecti doloris tibi offero amaram illam contritionem, quam sanctus propheta David, sanctus Petrus et sancta Maria Magdalena, imo omnes veri poenitentes unquam habuerunt ab origine mundi usque ad praesens; cum voluntate absoluta te nunquam amplius, adjuvante tua divina gratia, offendendi. S. Franc. Sales.

Satisfactio. Et quia, o Domine, in mea non est potestate, ut satisfaciam tot debitis, quibus ob mea peccata et offensas me plusquam obligatum profiteor, ideo in satisfactionem eorum offero tibi totam vitam meam, omnia opera mea, omnes labores, poenas et dolores, quos sustinui et adhuc sustenturus sum, cum meritis Vitae, Passionis et Mortis tui unigeniti Filii, humillime petens veniam meorum delictorum et efficacem gratiam, ut de iis ante mortem veram poenitentiam agere possim. S. Franc. Sales.

Oblatio. Praeterea, o Domine, cum hocce meo Sacrificio me tibi totum ad tuum honorem et aeternam gloriam offero et consecro in unione illius ardentissimi amoris et purissimae intentionis, quibus teipsum in ultima Coena nobis in ci-

bum tradidisti et in Ara crucis Sacrificium cruentum pro nobis obtulisti, et loco meae exiguae praeparationis ac praesentis meae parvae devotionis tibi offero profundam illam humilitatem, caritatem, puritatem, cum quibus tua sanctissima Mater et omnes tui fideles et famuli ad hoc SS. Sacramentum accesserunt, et quibus ornati tui Apostoli, imo omnes sancti Sacerdotes hocce tremendum Sacrificium tibi obtulerunt a prima tua institutione usque ad praesens, et quibus nunc adornata tua sancta Ecclesia catholica ubique locorum offert. S. Franc. Sales.

Directio intentionis. Pater coelestis, clementissime Pater misericordiarum, suscipe hodie per manus servi tui hoc sacrosanctum Sacrificium, verum Corpus et Sanguinem Filii tui D. N. J. C.; in satisfactionem et remissionem omnium peccatorum meorum: in salutem et sanctificationem animae meae et omnium illorum, quibus aliqua obligatione teneor: omnium Ecclesiae tuae Pastorum, ut eis gratiam Spiritus sancti impertiri digneris ad salutem animarum suarum et regimen totius populi christiani: omnium peccatorum hujus mundi, ut eos convertas et ducas in viam salutis: in consolationem omnium tribulatorum, ut eis adjutorium et veram poenitentiam tribuas: in refrigerium et liberationem omnium animarum existentium in purgatorio et maxime illarum, quae auxilium a me jure exspectant: et ad illuminationem et conversionem omnium gentium infidelium, et haereticorum et schismaticorum, ut cognoscant et ament te summam Veritatem, Patrem omnipotentem, qui cum Filio et Spiritu sancto es laudabilis Deus et benedictus in saecula saeculorum. Amen.

Ad D. N. J. C. Accende o Jesu, igne amo-

ris tui cor meum, quod tibi in holocaustum offero, omnesque terreni amoris flammas extingue; ut nihil in mundo mihi placeat praeter te. In amore tui vivere cupio et mori exopto.

Vota tua, mi Jesu, haec sunt: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; et expansis in cruce brachiis me exspectas. En venio, o Jesu, admitte me, obsecro, et concede, ut in amoris tui complexu tibi semper conjunctus permaneam.

Praecipitur mihi ne appaream in conspectu tuo vacuus: sed quid dabo tibi, mi Jesu? Accipe tuae bonitatis dona, animae meae facultates, quas tibi in obsequium offero, memoriam, intellectum, voluntatem. Tui solius meminerim: nihil sciam extra te; nihil amem praeter te, nec in ulla re mea, sed tua voluntas fiat. Amen.

Ad B. V. M. Castissima Virgo Maria, rogo te per illam innocentissimam puritatem, qua Filio Dei in utero tuo virginali placitam mansionem praeparasti, ut tuis precibus ab omni macula merear emundari.

Humillima Virgo, rogo te per profundissimam illam humilitatem, qua super omnes choros Angelorum et Sanctorum meruisti exaltari, ut tuis precibus suppleantur omnes negligentiae meae.

Amabilissima Virgo Maria, rogo te per singularem ac tantum illum amorem, qui sanctam animam tuam inseparabiliter Deo conglutinavit, ut tuis precibus praestetur mihi copia requisitorum meritorum. Amen.

Ad Sanctos. Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes coelorum, Cherubim ac Seraphim, omnes Sancti et Sanctae Dei, maxime vos N. N., quorum hodie memoriam agimus, succurrite mihi, quaeso,

precibus vestris: ut SS. hoc Sacrificium viva fide, ferventi caritate et plena devotione perficiam; perque ejus continuum et salutiferum usum vestro dignus consortio tandem inveniar. Amen.

Preces brevissimae.

Domine Deus, omnium creator! qui glorificas Majestate tua domum sanctam tuam, suscipe de manibus meis in oblationem suavissimi odoris Corpus et Sanguinem pretiosi agni et immaculati unigeniti Filii tui Jesu Christi, quem hodie offero tibi omnipotenti Deo.

Adsit Virgo et Mater unigeniti Filii tui, Maria, et offerat tibi una mecum in hac hora Jesum benedictum fructum ventris sui.

Veniat ignis tuus sanctus de coelo, et descendat super hoc altare. Aperiantur coeli, et Angeli tui ascendant et descendant in hac hora super Filium hominis.

Domine sancte Pater! per hoc et omne aliud Sacrificium in toto orbe terrarum hodie peragendum cum omnibus Sanctis et Electis tuis,

1. Adorabo ad templum sanctum tuum et confitebor nomini tuo, omne, quodcumque faciam, in gloriam et honorem tuum faciens.

2. Memor Domine miserationum tuarum et multitudinis bonorum, quae largitus es nobis, gratias agam tibi et colam te omnipotens aeterne Deus in hostiis et muneribus, benedicens nomen gloriae tuae, quod est sanctum et laudabile et gloriosum in saecula.

3. Accedo etiam, Domine, ego indignus servus tuus, quem constituisti Sacerdotem ad offe-

rendum munera et hostias pro peccatis meis, et dein pro populi, ad altare tuum cum vero corde et plenitudine fidei, ut offeram placabilem hostiam divinae Majestati tuae in hac domo propitiationis, eumdem Filium tuum unigenitum Jesum Christum.

Propitiare ergo, Domine, populo tuo, qui peccavit, et pone lacrymas nostras in conspectu tuo, et sit tibi acceptabile sacrificium cordis nostri, quod offerimus contritum et humiliatum.

4. Levabo ad coelum manus meas et dicam: Respice omnipotens Deus de sanctuario tuo et de excelso coelorum habitaculo. Miserere nostri, Domine, miserere nostri; et super populum tuum benedictio tua.

Credo Domine, sed adjuva incredulitatem meam. Credo in toto corde meo.

Spero in te Domine et innitor super te Deum meum, quia tibi potestas et apud te propitiatio est.

Diligam te Domine fortitudo mea. Tu scis, quia amo te: Utinam amem et ferar in te omnium amantium adfectu erga te; quia, quum dilexisses tuos, in finem dilexisti eos.

Sed numquid redditur pro bono malum? Tristitia idcirco magna mihi, quia tibi soli peccavi et malum coram te feci.

Ignosce Domine Deus, et ut superabundare facias gratiam, ubi abundavit delictum; deprecabilis esto super servo tuo, et custodi partem, qui solus es bonus, solus praestans, solus justus, omnipotens et aeternus; per dilectum Filium tuum Jesum Christum, cum quo et Spiritu sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Preces ante Missam pro Defunctis.

Maria Mater gratiae, Mater misericordiae! Advocata nostra singularis! illos tuos misericordissimos oculos ad me et ad animas in purgatorio converte, nobisque plenam peccatorum remissionem eorumque poenae reatus condonationem impetra. Te veneror, te invoco, ut mihi sacrificaturo pro animabus Filii tui materne adsistere et pia auxiliatrix esse digneris.

Intentio et Oblatio. Deus, cui proprium est misereri semper et parcere! in unione omnis devotissimi affectus et intentionum sublimitatis, pro solatio animarum fidelium maxime efficacis, piissimae Majestati tuae offerre intendo hoc Sacrificium Corporis et Sanguinis D. N. J. Christi per manus Matris dolorosae:

Ad omnimodam eminentissimae dignitatis tuae adorationem et aestimationem, quam tibi perfectius animae purgandae exhibere potuissent et debuissent, quibus nunc propter earum negligentiam horrendum accidit, incidisse in manus Dei ulciscentis:

Ad devotissimam recogitationem omnium dolorum et vulnerum Redemtoris earum, ut Sanguis ipsius descendat in purgatorium, ad ingemiscentium istarum animarum refrigerium:

Ad retribuendum pro omnibus, quae retribuisti animabus hisce a primo existentiae ipsarum momento usque ad finem vitae:

Ad condigne satisfaciendum pro omnibus peccatis, omissionibus bonorum operum et imperfectionibus ac erratis quibuscumque, propter quae cruciantur in hac flamma:

Ad instantissime supplicandum, ut de sede magnitudinis et de throno misericordiae tuae ad-

animas in illo ignito ergastulo flebiliter clamantes, pro quibus Filius tuus naturam humanam assumsit, oculos pietatis tuae convertas miserearisque gemituum et lacrymarum, quas ad te fundunt, per virtutem Passionis ejusdem Filii tui ac propter preces ac merita Matris suae condonans eis poenas, peccatis illarum debitas.

Speciatim oro et supplico pro liberatione aut refrigerio animae istius N. Porrige ei dexteram auxilii coelestis, et per Angelum tuum duc eam in locum lucis ac quietis.

Oremus. Domine sancte, Pater omnipotens! suscipe, quam tibi hodie offero, placationis hostiam pro omnibus pie defunctis, qui dormiunt in somno pacis, et fac cum eis misericordiam, qui omnia potes et omnipotentiam tuam miserando maxime et parcendo manifestas.

Virtutum actus praecipui. Rex tremendae Majestatis! coram te prostratus et in abyssum nihili mei projectus adoro te summo, tibi soli debito, latriae cultu.

Quod sic dilexeris mundum, ut ipsum Corpus et Sanguinem tuum nobis dederis in cibum et potum, gratias ago tibi ex intimis visceribus animae meae.

Credo, dulcissime amor mi, te in sanctissimo hoc Sacrificio, stupentibus Angelis, cum Divinitate et Humanitate tua esse praesentem. Credo infallibilibus verbis tuis et nolo, ut ratio judicet de eo, quod est supra rationem, quia divinum est mysterium.

Ideoque spero in te, et habens fiduciam in toto corde meo venio ad te, ut hoc sit mihi ex munere tuo. O Domine! o amor, o cor cordis mei! si temetipsum in hoc Sacramento donas

mihi, quomodo non omnia tecum donabis! In te sperans non infirmabor.

Amo te quoque, o bone Jesu! ex tota anima mea. Amo te mi Jesu! super omnia bona, quia tu solus omne bonum es, bonum infinitum et immensum.

Ignosce Clementissime! ignosce 'et parce peccatis meis, quibus te summum bonum toties offendi et ad iram concitavi. Doleo Domine et amore amoris tui desidero dolere posse omnium poenitentium perfectissimo atque vehementissimo dolore.

Miserere mei, Deus, miserere mei secundum magnam misericordiam tuam naturalem, et secundum misericordiam tuam liberalem. Qui Petrum lacrymantem respexisti et latronem poenitentem suscepisti, mihi quoque spem dedisti. Ne despexeris deprecationem meam.

Indignitatem meam cognosco et erubesco ideoque humilio me sub potenti manu tua, quia autem ex me numquam non indignus manebo, ad hanc mensam accedere, etiamsi mille anni studio meae praeparationis relinquerentur, et quia privatione hujus escae anima mea infirma non tantum non fortior, sed in dies debilior et miserior redderetur hacque sanctissima oblatione indignior: ecce! hanc ipsam ob causam,' et confisus super amabili verbo, quod dedisti servo tuo, ut venirem ad te, utut oneratus miseriis; accedo, tantum confidentior, quanto pauperior et miserior.

O Redemtor meus! in te confidit anima mea, et non confundar ego.

Veni Salvator et Deus animae meae! En cor et animam meam ad te amplexandum et in cor-

dis mei impurissimum penetrale introducendum extendo.

Veni, Domine, et imple omne desiderium meum, ut afficiar tibi et placeam, quantum debeo, quantum possum, quantum tu vis, et quantum tu dignus es.

Vos, o sanctae animae purgandae! offerte vestra merita et suspiria Deo pro me, ut digne degustare valeam Sancta Sanctorum. Amen.

Preces pro S. S. Missae Sacrificio.

Ad initium Missae. Da gratiam, obsecro, Domine Deus, ut cor meum ad te erigatur, quo secundum voluntatem tuam sub hoc Sacrificio, qua decet mentis attentione, recolere valeam unigeniti Filii tui Vitam, Mortem et Passionem, qua pro meis ac totius mundi peccatis cumulatissime satisfecit. Suscipe nobilissimum hoc tibique gratissimum ejusdem dilectissimi Filii tui Sacrificium pro meis ac caeterorum hominum delictis, quod ipse in memoriam Passionis suae atque in antidotum et salutem animarum nostrarum instituit.

Passus es, Salvator clementissime, Mortem ignominiosissimam, Vitam propter me duxisti contemptissimam, et hanc vilitatem, abjectionem et ignominiam tuam omnibus omnium saeculorum mortalibus notam esse atque testatam voluisti: imo vero, ut tuo beneficio gratus in maximi beneficii memoria esse possim, acerbissimam tuam mortem quotidie de integro praecipis celebrari. Concede mihi gratiam, ne otiosus sanctissimae tuae oblationi assistam, sed ut meritam tibi gratiam justis honoribus persolvam. Contere duri-

tiam cordis mei tantorum commemoratione beneficiorum.

Ad introitum Missae. Te Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum sanctum paraclitum, sanctam et individuam Trinitatem, toto corde et ore confitemur, laudamus, benedicimus. Gloria Patri, qui creavit nos, gloria Filio, qui redemit nos, gloria Spiritui sancto, qui sanctificavit nos. Gloria summae et individuae Trinitati, cujus opera inseparabilia sunt, cujus imperium sine fine manet. Te decet laus et decet hymnus, tibi debetur omnis honor, tibi benedictio et claritas, tibi virtus et fortitudo, Deo nostro in saecula saec. Amen.

Kyrie eleison, Christe eleison. Pater de coelis Deus, miserere nobis; Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis; Spiritus sancte Deus, miserere nobis. Miserere Domine populi tui, quem redemisti, Christe, Sanguine tuo, ne in aeternum irascaris nobis.

Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, Rex coelestis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite Jesu Christe et sancte Spiritus. Domine Deus, agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus, Jesu Christe, cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

Ad Collectam. Omnipotens sempiterne Deus, te suppliciter oramus, ut respicere digneris de excelso sanctuario tuo super congregationem nostram, ecclesiaeque tuae preces pro nobis

omnibus ad te Sacerdotis hujus ministerio destinatas, clementer acceptes et exaudias.

Ideoque pro immensa tua misericordia largiaris nobis peccatorum nostrorum condonationem, integritatem mentis, incolumitatem corporis, necessariam vitae sustentationem, pacem, aeris temperiem, terrae fertilitatem, Catholicae fidei unitatem, exstirpationem omnium haereseon, consiliorum impiorum destructionem, verae orthodoxaeque religionis incrementum, flagrantiam charitatis ac omnis pietatis, in precatione sinceram animi devotionem, tolerantiam longanimitatemque in afflictionibus, in spe gaudium; et quidquid denique sive ad animae sive ad corporis salutem confert, tuaeque unius servit cumprimis gloriae. Per Dominum, etc.

Ad Epistolam. O Pater coelestis, qui nunquam desinis nos indignos famulos tuos publico Ecclesiae tuae ministerio, apostolicis propheticisque ac aliis hagiographicis tum doctrinis, tum adhortationibus excitare, in fide confirmare, ad tui amorem atque cultum justitiae sincerum provocare, adversus denique scelerum tentationumque undas praemunire. Da quaesumus per Spiritum tuum, ut salutaria illorum dogmata ac monita ex animo amplectamur, et per omnem vitam ipsis etiam factis sedulo serioque exprimamus, ad tuam solius gloriam, ad pium proximorum nostrorum exemplum et animarum nostrarum salutem.

Ad Graduale. Domine, ne secundum peccata nostra facias nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum, cito anticipent nos misericordiae tuae. Adjuva nos Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui libera nos,

et propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum.

Ad Alleluja vel Tractum. O adoranda Unitas, o veneranda Trinitas, per te sumus creati vera aeternitas, per te sumus redempti summa tu charitas. Populum cunctum tu protege, salva, libera, eripe et emunda. Te adoramus Omnipotens, tibi canimus, tibi laus et gloria per infinita saecula. Amen.

Ad Evangelium. Domine Jesu Christe, qui, ut olim doctrinam gratiamque evangelicam vivo ore praedicasti mortalibus, sic jam per Evangelistarum tuorum scripta nobis eandem clementer et proponis et instillas, aperito quaesumus mentes nostras, ut verbum tuum salvificum tum probe intelligamus tum serio amplectamur, eique et fide flagranti et sincera charitate, ad finem usque, constanter adhaereamus.

Ad Symbolum. Omnipotens aeterne Deus, ego miser peccator ad te venio, ut coram divina tua Majestate renovem pactum baptismale et fidem tibi in baptismo datam. Credo igitur corde et ore confiteor omnia, quae Christus Jesus dilectissimus Filius tuus, et sponsa illius Ecclesia, Spiritu sancto edocta, mihi credenda proposuerunt. Ab hac fide fateor, me ne latum quidem unguem discedere posse, etiamsi totus mundus in me insurgat, priusquam tu imperator meus, cui milito, me hoc sacramento solvas, a statione discedere jubeas et in patriam, ubi nulla amplius fides, sed clara ejus visio, me revoces. Quod si ex tentatione diabolica, aut ex ignorantia aliquid in hujus fidei praejudicium dixero vel cogitavero, id nunc revoco et quasi non dictum aut non cogitatum haberi volo; nunquam enim tali dicto

aut cogitationi sciens et volens assensum praebebo, adjuvante me tua gratia, qui vivis, etc.

Ad Offertorium. Domine sancte Pater, qui per Jesum Christum Filium tuum novi Testamenti novam oblationem docuisti, quam Ecclesia a sanctis Apostolis accipiens in universo mundo tibi offert, digneris quaeso hanc oblationem placatus accipere pro cuncto populo tuo, quem pretioso Sanguine ejusdem tui Filii acquisivisti. Per Sacrificium, quod Filius tuus in Ara crucis pro nobis immolavit, offero tibi animam meam cum omnibus suis potentiis, offero tibi memoriam, intellectum et voluntatem meam, corpus, bona externa, cognatos, et quidquid meum est. Da ut omnibus his a te perceptis bonis recte et secundum divini tui verbi praescriptum utar.

Ad Praefationem. Suscipe Domine Sacrificium hoc ad laudem et gloriam nominis tui, ad salutem et remedium animarum nostrarum et omnium fidelium, vivorum ac defunctorum.

Da etiam mihi compunctionem cordis et lacrymas oculis meis, ut diebus ac noctibus omnibus negligentiae meae dies defleam, cum humilitate et puritate cordis. Appropinquet oratio mea in conspectu tuo Domine. Si iratus fueris contra me, quem adjutorem quaeram? aut quis miserebitur iniquitatibus meis? Memento quod Cananaeam et Publicanum vocasti ad poenitentiam, et Petrum lacrymantem suscepisti, et meas preces suscipe misericors Deus. Evehe etiam quaeso cor meum a terrenis ad coelestia, ut te unum et cogitem et tota vita exprimam, teque solo fruar in aeternum.

Ad Hymnum angelicum. Sanctus es Rex saeculorum, et omnis sanctimoniae dator; tu enim es omnium potens, qui sancta obsignas

dona. Sanctus vero et unigenitus tuus Filius, Dominus noster Jesus Christus, ante saecula ex te ineffabiliter genitus. Sanctus autem et Spiritus tuus, totus sanctus, scrutans omnia, etiam profunda tua, qui Deus es; per quem universa, quae in coelo et super terram sunt, sanctificantur.

Ad Canonem. Summe Sacerdos et Episcope animarum nostrarum, qui praedilectam tibi sponsam Ecclesiam, tanto amore prosecutus es, ut pro ea temetipsum in Ara crucis offerres, ut in Sanguine tuo abluta, sanctificata, et ab omni macula ac ruga prorsus mundata, tibi tota pulchra, immaculata, speciosa et gloriosa efficeretur, per hanc immensam charitatem tuam deprecor te pro cunctis ordinibus Ecclesiae, inprimis pro Summo Pontifice, Episcopis, pastoribus et doctoribus, ut verbo simul et meritis vitae, populum sibi creditum ad coelestem patriam invitent. Pro Regibus, Ducibus et iis, qui in sublimitate positi sunt, ut patres orphanorum et judices viduarum semetipsos exhibeant, miseriis inopum et gemitibus pauperum condoleant, nil nisi quod justum est, in judicio quaerant, sicque administrent praesentia, ne amittant bona futura. Pro virginibus continentibus, ac mundo renunciantibus, ut praesentia despiciant, futura requirant, ne se negotiis saecularibus implicent, ut tibi militantes placeant, cui se probaverunt. Pro conjugatis, ut tali affectu se diligant, ne a desiderio patriae coelestis exorbitent. Pro universa Ecclesia et cunctis in te credentibus, ut perseverantiam boni operis obtineant. Praesta, Domine, virginibus castitatem, Deo dicatis continentiam, conjugatis sanctimoniam, viduis et orphanis sustentationem, pauperibus protectionem, peregrinantibus reditum, navigantibus portum, lugentibus conso-

lationem, poenitentibus indulgentiam, optimis, ut in bonitate semper consistant, mediocribus, ut fiant meliores, delinquentibus, ut se cito corrigant. Oro quoque clementiam tuam, ut sereno vultu nos famulos tuos sacri tui nominis officia praestolantes, aspicere digneris et corda nostra flagrantissimo hujus divinissimi Sacramenti desiderio et amore accendas.

Ad elevationem Hostiae. Ave salus mundi, aeternum Patris Verbum, Hostia vera, viva Caro, Deitas integra et Vita aeterna.

Domine Jesu Christe, qui in ultima Coena suspiciendum hoc et adorandum veri tui Corporis Sacramentum in amarissimae Passionis tuae memoriam instituisti, miserere mei et da quaeso, ut nunquam in me Passio tua inveniatur esse perdita. Amen.

Ad elevationem Calicis. Salve nobilissime Sanguis, de latere Domini mei Jesu Christi profluens et totius veteris et novae culpae maculas diluens. Ablue, sanctifica et custodi animam meam in vitam aeternam.

Domine Jesu Christe, qui in ultima Coena hoc suspiciendum et adorandum veri tui Sanguinis Sacramentum instituisti in amarissimae Passionis tuae commemorationem, in qua pretiosissimus ille Sanguis tuus in humani generis redemptionem effusus est, miserere mei ac ne sinas, obsecro, ut unquam ille pro me frustra effusus esse inveniatur, sed mihi cum caeteris electis conducat et efficax sit ad vitam aeternam. Amen.

Christi pro peccatis nostris ad Patrem oblatio. Omnipotens Pater, qui sic dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, sed ha-

beat vitam aeternam: per hunc dilectum Filium tuum, cujus beatissimam Passionem et gloriosam Resurrectionem, et in coelos Ascensionem recolo, te oro, educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo.

Et quem propria merita faciunt lethalem timere sententiam, per hujus dilecti Filii tui ad dexteram tuam consedentis interpellationem, restaura placatus ad vitam. Quem enim alium dirigam intercessorem ad te, nisi hunc, qui est propitiatio pro peccatis nostris?

Ecce Advocatus meus apud te Deum Patrem. Ecce Pontifex summus, qui non alieno eget expiari cruore, quia proprio refulget perfusus Sanguine. Ecce hostia sancta, beneplacens et perfecta in odorem suavitatis oblata et accepta. Ecce Pater optime, agnus ille innocens sine macula, qui inter manus tondentium obmutuit, hic est Filius tuus dilectissimus, qui alapis caesus, sputis illitus, opprobriis affectus, os suum non aperuit. En qui peccatum non fecit, peccata nostra pertulit et languores nostros suo livore sanavit.

Te igitur oro Rex aeterne per Filium tuum, parce et ignosce peccatis meis. Praesta mihi vires, ut possim secundum legem tuam vivere et in bono perseverare. Fac judicium mite, et post hujus vitae miserias aeternam illam largire. Amen.

Ad memoriam Defunctorum. Domine Deus, Pater sancte, cujus miseratio magna, cujus misericordia aeterna est, memento quaeso, omnium credentium, qui hinc christiane et pie obdormierunt. Memento avorum parentumque nostrorum, matris et patris, fratris et sororis et omnium cognatorum, et gratiam, quam de te

per Christum speraverunt, remissis cunctis criminibus eorum, propitius tribue.

Ne in judicio cum eis contendas. Ne a sinistris eos deinde statuas. Ne aeternis cruciatibus eos adjudices, sed eos tecum in sempiternam requiem et gaudia suscipias, ubi te sanctam Trinitatem cum omnibus Electis videant et celebrent, eaque omnia feliciter percipiant, quae hic firmiter crediderunt, per Mortem et Resurrectionem Filii tui Jesu Christi, Domini et Redemptoris nostri. Amen.

Ante Orationem Dominicam. Mihi quoque Domine indigno servo tuo, secundum multitudinem miserationum tuarum miserearis, et concessa in praesenti peccatorum venia, ne me sinas in futuro saeculo excruciari cum impiis. Sed aliquam portiunculam dones cum Sanctis tuis in coelis, qui in tua membra coaptati, et in te unum corpus effecti, gratias ob tuum pro se effusum pretiosum Sanguinem (quo illos lavisti) rependentes, pro te et fratribus suis gloriosum sanguinem fundere non dubitarunt, qui te in vita sua amaverunt et in morte te sunt imitati, et ideo coronas triumphales meruerunt. Quorum me licet imparem meritis, participem tamen fac sola misericordia tua, succurrentibus eorum meritis et precibus. Amen.

Ad Orationem Dominicam. Omnipotens, aeterne ac coelestis Pater, qui per Filium tuum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum precandi rationem discipulis praescripsisti tibi offerendam, et eandem post illos in nos derivasti simulque docuisti, te requirere oratores, qui in Spiritu et veritate tibi supplicent: nos miseri peccatores, absorpti mendacio vacuique Spiritu te oramus Patrem coelestem, per eundem

Filium tuum, qui est Veritas, ut propter illum in nos abunde effundas Spiritum sanctum, qui nos in numerum filiorum adoptet, quorum tu Pater es: ut nostrae infirmitati subsidio sit, nos doceat, quid, et quomodo juxta sanctam voluntatem tuam orandum. Adeoque inter nos exclamet: Abba, Pater, animo meo dilectissime Genitor; et sic desiderium et votum nostrum in conspectum tuum producat, in quo clementer exaudiamur. Per eundem Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Post Orationem Dominicam. Libera nos quaesumus Domine, ab omnibus malis, praeteritis, praesentibus et futuris: et intercedentibus omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiae tuae adjuti, et a peccatis simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi.

Cum canitur Agnus Dei. Pie Jesu, sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te fontem vivum, ut hauriam aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Sicut mercenarius praestolatur finem operis sui, sic ego te Domine: intret postulatio mea Domine, in conspectu tuo. Ego ovis, quae erravi; require eam, optime Pastor, et pone eam in ovili tuo. Converte planctum meum in gaudium mihi, inclina aurem tuam, mitissime Deus, et exaudi vocem deprecationis meae.

Ad Communionem. Domine Jesu Christe, qui in his sacrosanctis mysteriis ad nos venire et in incruenti hujus Sacrificii mensa, omnibus te manducare volentibus, apponi dignatus es, nosque omnes ad tremendum hoc epulum invitas; ecce ego infelix peccator ex toto corde appeto, te panem coelestem, omnem dulcedinem habentem, hoc est, te verum Deum cum Zachaeo in

domum pectoris mei reverenter excipere, ut coenes mecum et habites mecum. Ecce dilato os animae meae, et brachia desideriorum meorum late ad te expando; veni o bone Jesu, veni cum omnibus meritis et gratiis tuis, ut anima mea te esuriens, bonis tuis impleatur.

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum; dic tantum verbum, et sanabitur anima mea. Respice me a longe stantem cum publicano, tundentem pectus et dicentem tibi: Deus propitius esto mihi peccatori.

Da adoranti tam horrenda mysteria, spiritualiter saltem manducare Carnem et bibere Sanguinem tuum. Da mihi per vivam in te fidem invisibiliter saginari de te, dulciter recolenti et credenti, benedictam Carnem tuam pro me in cruce fractam et immolatam, et Sanguinem tuum de latere tuo effusum, in remissionem peccatorum meorum.

Ad ultimam Collectam. Omnipotens, aeterne, misericors Deus, non sum dignus propter peccata mea, qui in conspectum Majestatis tuae veniam et coram te compaream aliquid petiturus, multo minus, ut exaudiar: sed quia tu ex amore paterno, unigenitum Filium tuum constituisti Mediatorem inter te et peccatores, inter quos me infelicissimum agnosco; hunc tibi Conciliatorem nostrum offero, magna spe ductus, quod tua Majestas hujus respectu me exauditura sit. Te oro, ut hoc Sacrificium, hanc victimam, a me peccatore misero suscipias.

Ad Benedictionem. Coelesti benedictione benedicat nos divina Majestas et una Deitas, Pater, † et Filius †, et Spiritus † sanctus. Amen.

Domine Deus omnipotens, tibi commendo hodie et in omni tempore animam meam, corpus meum, visum, auditum, gustum, odoratum et tactum, omnes cogitationes, locutiones, actiones, omnia exteriora et interiora, sensum et intellectum, memoriam, fidem, credulitatem et perseverantiam meam, ut custodias ea diebus ac noctibus, horis atque momentis omnibus. Amen.

Ad finem Sacri. Domine Jesu Christe, qui ascendens in coelum, omnium animos avocasti ad coelestia, et nobis maximam spem illa consequendi dedisti, ecce et nunc viva hostia oblatus es Patri pro nobis; cogita quaeso de nobis et benedic animis nostris, ut non ad captandam vitae hujus vanissimam jucunditatem, sed ad regni perennis beatitudinem consectandam, eamus et ad coelestia desideranda et quaerenda, et nunquam a te divellamur. Ignosce obsecro, si in precibus non eam, quam debui, mentis attentionem adhibui, et quidquid etiam quovis modo mentis evagatione, verbo, aut opere deliqui, ne olim arguat me, vel adversum me glorietur inimicus, quod ne ipso quidem orationis tempore mihi a peccato caverim. Denique praesta, ut cum vivis et defunctis extremo judicii die, in illa bonorum multitudine laetus sub aspectum tuum venire possim. Amen.

Gratiarum Actio post Missam.

Ex Missali Romano.

Ant. Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant Sancti in camino ignis, benedicentes Domino. Tempore Paschali additur Alleluja.

Canticum trium Puerorum. Dan. 3.

Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite coeli Domino.

Benedicite aquae omnes quae super coelos sunt Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol et luna Domino: benedicite stellae coeli Domino.

Benedicite omnis imber et ros Domino: benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis et aestus Domino: benedicite frigus et aestus Domino.

Benedicite rores et pruina Domino: benedicite gelu et frigus Domino.

Benedicite glacies et nives Domino: benedicite noctes et dies Domino.

Benedicite lux et tenebrae Domino: benedicite fulgura et nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite montes et colles Domino: benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria et flumina Domino.

Benedicite cete et omnia quae moventur in aquis Domino: benedicite omnes volucres coeli Domino.

Benedicite omnes bestiae et pecora Domino: benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Israel Dominum: laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino: benedicite servi Domini Domino.

Benedicite spiritus et animae justorum Domino: benedicite Sancti et humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino: laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicamus Patrem et Filium, cum sancto Spiritu: laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Benedictus es, Domine, in firmamento coeli: et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula. Non dicitur Gloria.

Psalmus 150.

Laudate Dominum in sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubae: laudate eum in psalterio et cythara.

Laudate eum in tympano et choro: laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri, etc.

Ant. Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant Sancti in camino ignis, benedicentes Domino.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster, etc.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua.

R. Et sancti tui benedicant tibi.

V. Exultabunt sancti in gloria.

R. Laetabuntur in cubilibus suis.
V. Non nobis Domine, non nobis.
R. Sed nomini tuo da gloriam.
V. Domine exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium: concede propitius; ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur.

Da nobis, quaesumus Domine, vitiorum nostrorum flammas exstinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Preces post Missam.

Die dominica.

Adora et magnifica Dominum. O Jesu, dulcis hospes! prospere processeris ad hunc pauperculum et humilem servum. Intraveris fauste sub hoc angustissimum et vile tectum. Benedictus et superexaltatus, qui venisti in cor meum oriens ex alto.

O Rex pacifice! fuga ex animo et corde meo catervas vanarum cogitationum; ut te solum pacis auctorem contemplari et diligere queat anima mea. Ecquid praeter te, o pax, tranquillitas et dulcedo cordis mei, quaerat et gustet anima mea?

O fons amoris perpetui! quomodo potero tui oblivisci, qui mei dignatus es recordari et teipsum mihi dare? Fecisti ultra omnem spem misericordiam cum servo tuo; et ultra omne meritum gratiam et amicitiam exhibuisti. Quid retribuam tibi pro gratia ista?

Utinam possem tibi servire cunctis diebus vitae meae! Utinam vel uno die dignum servitium exhibere sufficerem! Vere tu es dignus omni servitio, omni honore et laude aeterna. Vere Dominus meus es et ego pauper servus tuus, qui totis viribus teneor tibi servire, nec unquam in laudibus tuis debeo fastidire. Sic volo, sic desidero, et quidquid mihi deest, tu digneris supplere.

Concede mihi, benignissime Jesu, gratiam tuam, ut mecum sit et mecum laboret mecumque usque in finem perseveret.

Da mihi semper desiderare et velle, quod tibi magis acceptum est et carius placet. Tua voluntas mea sit, et mea voluntas tuam semper sequatur et optime ei concordet. Sit mihi unum velle et nolle tecum, nec aliud posse velle aut nolle, nisi quod tu vis et non vis.

Da mihi omnibus mori, quae in mundo sunt, et propter te amare contemni et nesciri in hoc saeculo. Da mihi super omnia desiderata in te quiescere et cor meum in te pacificare. Tu vera pax cordis, tu sola requies: extra te omnia sunt dura et inquieta. In hac pace in idipsum hoc est in te uno, summo et aeterno bono, dormiam et requiescam. Amen.

G r a t i a s a g e. Quid retribuam tibi, Domine Jesu, pro omnibus, quae retribuisti mihi, praesertim hodie? Sollicitus mei dedisti mihi Corpus tuum in cibum et Sanguinem tuum in potum

et utrumque in pignus futurae gloriae. Quis audivit unquam tale? Quis vidit huic simile? Utinam aperiantur labia mea et repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam et enarrem universa mirabilia tua!

Magnificet anima mea Dominum tot tantisque affecta beneficiis; et exultet spiritus meus in Deo salutari meo: quia respexit humilitatem servi sui et fecit mihi magna, qui potens est et esurientem implevit bonis. Laudate Dominum omnes gentes; laudate eum omnes populi; quoniam confirmata est super me misericordia ejus. Laudate eum omnes Angeli ejus; laudate eum omnes Virtutes ejus; reges terrae et omnes populi; principes et omnes judices terrae: juvenes et virgines, senes cum junioribus.

Sed et lingua mea, o pie Jesu! meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam. Omnia ossa mea dicent: Domine quis similis tibi? Potens es Domine; et veritas tua in circuitu tuo: magnificus in donis tuis et sanctus in omnibus operibus tuis. Jucundum sit tibi eloquium meum; ego vero de'ectabor in te et in mandatis tuis exercebor. Tene manum dexteram meam et in voluntate tua deduc me, ut aliquando cum gloria suscipias me. Amen.

Offer Deo Patri Filium suum. Clementissime Pater, qui sic dilexisti me, ut Unigenitum tuum mihi dares in pretium et in cibum et cum eo omnia: respice in faciem Christi tui, in quo tibi bene complaces. Hunc ego dilectum Filium et cum eo cor meum retribuo tibi pro his, quae hodie retribuisti mihi. Complaceat tibi Pater hodie in illo ac per eum indignationem tuam avertas a me.

Ecce mediator Dei et hominum Christus Jesus, Advocatus et Pontifex, qui interpellat pro me. Hunc ego offero tibi; ipsum inquam, qui peccatum non fecit, sed tulit peccata mundi et languores nostros suo livore sanavit. Suscipe igitur, o sancte Pater! hanc immaculatam hostiam in laudem et gloriam nominis tui; in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis in me collatis; in remissionem quoque peccatorum meorum et in supplementum omnium defectuum meorum.

Offer teipsum Christo. O Domine! quia ego servus tuus et filius ancillae tuae; abrenuntio satanae et omnibus operibus ejus et omnibus pompis ejus: tu solus Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum: tu solus pars haereditatis meae et calicis mei, tu es, qui restitues haereditatem meam mihi. Suscipe ergo solus universam libertatem meam; accipe memoriam, intellectum atque voluntatem omnem: quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es, id totum tibi restituo ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum: amorem tui solum cum gratia mihi dones et dives sum satis, nec quidquam aliud ultra posco. S. Ignat.

Postula dona Dei. Omnipotens sempiterne Deus, conservator animarum mundique Redemptor, me famulum tuum ante Majestatem tuam prostratum benignissime respice; et Sacrificium, quod in honorem nominis tui, pro salute fidelium, tam vivorum quam etiam defunctorum, et pro peccatis et offensionibus meis obtuli, piissime respice; iram tuam a me remove, gratiam et misericordiam mihi concede, januam Paradisi mihi pande, ab omnibus malis me potenter eripe; et quidquid proprio commisi reatu, clementer in-

dulge. Sic in hoc saeculo in praeceptis tuis fac me perseverare, ut dignus Electorum gregi copulari efficiar, te praestante, Deus meus, cujus nomen benedictum, honor atque regnum permanet in saecula saeculorum. Amen.

Domine, qui benedicis benedicentes te et sanctificas eos, qui in te confidunt: salva populum tuum et benedic haereditati tuae et custodi Ecclesiae tuae plenitudinem. Sanctifica diligentes decorem domus tuae. Tu eis gloriam retribue per divinam potentiam tuam; et ne derelinquas Deus sperantes in te. Aegrotis da auxilium, remedium et consolationem. Peregrinantibus pacem tribue. Aerem tempera. Fructibus terrae benedic. Conserva in pace mundum, Ecclesias, Reges, Sacerdotes et omnem populum tuum. Defunctis requiem praesta; eorumque, qui dona obtulerunt et pro quibus obtulerunt, memor esto. Eos, qui in quacumque tribulatione et angustia sunt, salva, et nobis gratiam tribue.

Ora B. V. M. O serenissima et inclyta Mater Domini nostri Jesu Christi Virgo Maria! Regina mundi, quae eundem Creatorem omnium creaturarum tuo sanctissimo utero fuisti digna portare, cujus idem sacratissimum Corpus et Sanguinem sumpsi, ad ipsum pro me misero peccatore intercedere digneris; ut quidquid in hoc ineffabili Sacramento ignoranter, negligenter, irreverenter et accidentaliter omisi, tuis precibus sanctissimis mihi indulgere dignetur, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Ora omnes Sanctos. O Sancti Dei omnes! qui in carne viventes sic Domino serviistis, ut jam cum ipso sine fine regnetis: adeste mihi quaeso, precibus meritisque vestris; ut Panis ille coelestis et Viaticum divinum, quod modo

sumpsi, mihi contra omnes infirmitates, pericula et insidias praestet robur et tutamen: ut in fortitudine cibi illius ambulem per hujus mundi desertum usque ad montem Dei, et ibidem dulcissima illius fruitione vobiscum jugiter gaudeam et eum una vobiscum laudem per omnia saecula. Amen.

Conclusio. Anima Christi sanctifica me, Corpus Christi salva me, Sanguis Christi inebria me, Aqua lateris Christi lava me, Passio Christi conforta me. O bone Jesu exaudi me, intra vulnera tua absconde me, ne permittas me separari a te, ab hoste maligno defende me, in hora mortis meae voca me, et jube me venire ad te, ut cum Sanctis tuis laudem te in saecula saeculorum. Amen.

Obsecro te, mitissime ac bone Jesu, ut haec immortalis hostia pro me tibi gratias referat, me tibi reconciliet, me tibi restituat, mihique peccatori veniam tribuat et ad vitam perducat aeternam. Amen.

Feria II.

Pii affectus. Ecce Domine, jam habeo te, qui habes omnia. Possideo te, qui potes et possides omnia: ergo o Deus meus et omnia, abstrahe cor meum a caeteris omnibus extra te, in quibus nihil nisi vanitas et afflictio spiritus. In te uno fixum sit cor meum, in te sit requies mea, ubi est thesaurus meus, summa veritas, vera felicitas et felix aeternitas.

Sentiat, o Jesu! mens mea dulcedinem praesentiae tuae: gustet quam suavis sis Domine, ut inescata amore tui nihil quaerat extra te, unde

gaudeat; quia tu es gaudium cordis mei et pars mea Deus in aeternum.

Tu es medicus animae meae, qui languores nostros tuo livore sanasti. Ego vero sum infirmus ille, ad quem sanandum de coelo venisti. Itaque sana animam meam, quia peccavi tibi.

Tu es Pastor meus, qui posuisti animam tuam pro ovibus tuis. Ecce ego ovis illa, quae perierat, et tamen dignaris me pascere Corpore et Sanguine tuo:· suscipe me nunc in humeros tuos. Quid negabis mihi, qui te ipsum dedisti? Rege me et nihil mihi deerit in loco pascuae, ubi me collocasti; donec ad pascua vitae aeternae perducar.

O lux vera! quae illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina oculos meos; ne unquam obdormiam in morte.

O ignis jugiter ardens et nunquam deficiens! ecce me tepidum et frigidum: ure renes meos et cor meum, ut ardeant amore tui. Ignem enim venisti mittere in terram; et quid vis, nisi ut accendatur?

O Rex coeli et terrae, dives in misericordia! ecce ego egenus et pauper sum: tu nosti, ubi magis egeam, tu solus me ditare et juvare potes. Deus adjuva me, et ex thesauris bonitatis tuae succurre inopi animae meae.

O Dominus meus et Deus meus! ecce servus tuus sum ego: da mihi intellectum et excita affectum, ut sciam et faciam voluntatem tuam.

Tu es agnus Dei, agnus sine macula, qui tollis peccata mundi: tolle de me, quod mihi nocet et tibi displicet: et da, quod nosti tibi placere et mihi prodesse.

Tu es amor meus et omne gaudium. Tu es Deus meus et omnia. Tu es pars haereditatis

meae et calicis mei. Tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.

O Deus meus et omnia! absorbeat quaeso, mentem meam vis ignita et melliflua amoris tui: ut amore amoris tui mundo moriar, qui amore mei dignatus es in cruce mori, o Deus meus et omnia. Amen.

Gratiarum actio et oblatio. Quis sum ego, Bonitas infinita, ut me sacris altaribus adstare volueris tibique offerre de donis tuis sanctum Sacrificium, hostiam immaculatam? Unde inveni hanc gratiam in oculis tuis, ut ostenderes in me divitias misericordiae tuae? Venite et audite omnes Angeli et Sancti Dei, et narrabo vobis, quanta fecit Dominus animae meae. Nam cum essem abjectus in domo mea, de pulvere erexit me et constituit me cum principibus populi sui, ut comederem panem et biberem vinum in mensa sua, omnibus diebus vitae meae. Quas ego tibi gratias agam clementissime Jesu, Salvator mundi? aut quid retribuam tibi pro omnibus, quae retribuisti mihi? Vere enim de te, Sponso Ecclesiae, illud Canticorum intelligitur: Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Tu omnia, quae habes, mihi largitus es; Corpus, Sanguinem, Animam et Divinitatem tuam: et si ego tribuam tibi omnem substantiam domus meae, corpus, animam et libertatem cum omnibus, quae nunc habeo vel habere possum, hoc quasi nihilum reputabitur in comparatione immensi et inaestimabilis doni tui. Tantum tibi debeo, quantum ipse vales, qui infinitus es: ideo debitum meum omnem facultatem meam excedit. Audeo tamen rogare te, ne despicias munusculum, quod tibi offero in simplicitate cordis mei, dicens

cum sponsa: Dilectus meus mihi et ego illi. Nam sicut tu totum te mihi tradidisti in nutrimentum animae meae: ita ego me totum servituti tuae consecro; et quidquid habeo, quidquid sum, quidquid possum, tibi penitus trado, ut me totum tibi vindices, nec quidquam mei superesse mihi patiaris.

Petitio pro se. Concede mihi quaeso, omnipotens et misericors Deus, quae tibi placita sunt, ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, et perfecte adimplere.

Ad laudem et gloriam nominis tui ordina statum meum; et quod a me requiris, ut faciam, tribue, ut sciam, possim et velim; et da exsequi, sicut oportet et expedit saluti animae meae.

Via mihi, quaeso, ad te sit tuta, recta et consummata, non deficiens inter prospera et adversa: ut in illis non extollar et in istis non deprimar. In prosperis gratias tibi referam et in adversis servem patientiam, de nullo gaudeam vel doleam, nisi quod promoveat ad te, vel quod abducat a te. Nulli placere appetam vel displicere timeam, nisi tibi.

Omnia in caritate da facere; et quod ad cultum tuum non pertinet, quasi mortuum reputare.

Vilescant mihi omnia transitoria propter te et cara mihi sint omnia tua, et tu Deus meus, plus quam omnia. Delectet me omnis labor, qui est pro te, et taediosa sit mihi omnis quies, quae non est in te.

Frequenter et ferventer da mihi dulcissime Domine, cor meum ad te dirigere et defectionem meam cum emendationis proposito dolendo pensare.

Fac me Deus meus, humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem sine dejectione, maturum sine gravitate, agilem sine levitate, veracem sine duplicitate, timentem sine desperatione, in te sperantem sine praesumptione, castum sine corruptione, proximum corripere sine indignatione, ipsumque aedificare verbo et exemplo sine elatione, obedientem sine contradictione, patientem sine murmuratione.

Da mihi, dulcissime Jesu, cor pervigil, quod nulla a te abducat curiosa cogitatio: da immobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio: da invictum, quod nulla fatiget tribulatio: da liberum, quod nulla sibi vindicet violenta delectatio: da rectum, quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio.

Largire mihi dulcissime Deus meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quaerentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam te dulciter et fiducialiter exspectantem, fiduciam te finaliter amplectentem. Da tuis poenis configi per poenitentiam, tuis beneficiis uti in via per gratiam et tandem tuis gaudiis in patria frui per gloriam. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen. S. Thom. Aquin.

Petitio pro aliis. Domine, qui benedicis benedicentes te et sanctificas eos, qui in te confidunt, salva populum tuum, et benedic haereditati tuae et custodi Ecclesiae tuae plenitudinem. Sanctifica diligentes decorem domus tuae. Tu eis gloriam retribue per divinam potentiam tuam et ne derelinquas Deus sperantes in te. Aegrotis da auxilium, remedium et consolationem. Peregrinantibus pacem tribue. Aerem tempera. Fru-

etibus terrae benedic. Conserva in pace mundum, Ecclesias, Reges, Sacerdotes et omnem populum tuum. Defunctis requiem praesta; eorumque, qui dona obtulerunt et pro quibus obtulerunt, memor esto. Eos, qui in quacumque tribulatione et angustia sunt, salva et nobis gratiam tribue. Per preces et orationes, quas faciet pro nobis Domina omnium nostrum, Mater Dei, diva et sancta Maria, et sancti Michael, Gabriel et Raphael omnesque coelestes Ordines. Per orationes Patriarcharum et Prophetarum Dominorumque Patrum, Apostolorum et omnium Martyrum, omnis chori cruce signatorum, Justorum piorum, sapientum Virginum et Angeli diei istius benedicti. Veniat benedictio eorum, caritas eorum, patientia eorum, auxilium eorum: et benedictio Salvatoris nostri boni sit cum omnibus nobis usque in aeternum. Amen.

Conclusio. Omnipotens sempiterne Deus, conservator animarum mundique Redemptor, me famulum tuum ante Majestatem tuam prostratum benignissime respice et Sacrificium, quod in honorem nominis tui pro salute fidelium, tam vivorum quam etiam defunctorum, et pro peccatis et offensionibus meis obtuli, piissime recipe: iram tuam a me remove, januam Paradisi mihi pande, ab omnibus malis me potenter eripe, et quidquid proprio commisi reatu, clementer indulge. Sic in hoc saeculo in praeceptis tuis fac me perseverare, ut dignus Electorum gregi copulari efficiar, te praestante Deus meus, cujus nomen benedictum, honor atque regnum permanet in saecula saeculorum. Amen.

Feria III.

Exulta Domino. Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam. Te, mi Jesu, amplector. Te amor et gaudium meum, obtineo. Te cordis mei thesaurum comprehendo, in quo omnia possideo. De omnibus necessitatibus meis erue me Domine; et fac, ut tam plene tibi sim, quam tu mihi. Tu es o Jesu! Creator et Plasmator meus; cor mundum crea in me et spiritum rectum innova in visceribus meis. Tu es Rex et Dominus meus, posside me et nemo praeter te. Tu es Doctor et Magister meus; bonitatem et disciplinam et scientiam doce me. Tu es Advocatus meus apud Deum Patrem; fac, ut avertat iram suam a me. Tu es, qui venturus es judicare vivos et mortuos; ne intres in judicium cum servo tuo. Tu es dilectus meus Sponsus: desponsa me tibi in misericordia tua et miserationibus. Tu dux et defensor meus; pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. Tu victima pro me factus es; in Domino sperans non infirmabor. Tu Salvator et Redemptor meus es, consumma opus tuum; et labor tuus non sit cassus. Tu es pars haereditatis meae et portio mea in terra viventium; haereditatem meam restitue mihi. Tu es gloria mea, corona et merces nostra magna nimis; admitte me in bona Domini, quae praeparasti diligentibus te. O Jesu! o piissime Jesu! o Jesu, Fili Mariae Virginis! infunde in me gratiam, sapientiam, charitatem, castitatem, humilitatem; ut possim te perfecte diligere, te laudare, te perfrui, tibi servire et in te gloriari, nunc et in perpetuum. Amen.

Jubila Deo Salutari tuo. Quam pulcher, es dilecte mi, dilecte votorum meorum,

Christe Jesu! Quam pulcher es! Quam bonus et amabilis! O unicae diliciae meae! o vita mea! o gaudium meum! o suavitas summa! o Deus meus et omnia! ad te suspiro, clamo, anhelo. Complector et amo te totis praecordiorum affectibus; quia tu es Deus, ipsissima bonitas, amor aeternus, sapientia inexhausta, potentia infinita, perfectio absoluta. Ecquid tandem me poterit separare a caritate tua? an voluptas brevis, opes caducae, honores falsi, nugae nugarum? Nec illae, nec istae facient, o bone Jesu! mihi enim adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Adjuva me, pie Jesu, in sancto proposito meo; promissionum mearum ne me sinas unquam oblivisci. Sit mihi sacratissimum Sacramentum tuum contra omnium peccatorum meorum vulnera efficacissimum medicamentum ac omnis gratiae et virtutis complementum: sit contra omnia mala et pericula validissimum tutamentum aeternaeque beatitudinis solidissimum fulcimentum. Amen.

Gratias age. O clementissime Salvator, Christe Jesu! quam suavis es et mitis et multae misericordiae omnibus invocantibus te! Cum enim non essemus, divina potentia creasti nos; cum inimici tui essemus, a coelo veniens mira sapientia redemisti nos; et quia sine te tam corpore quam spiritu vivere, moveri et esse non possumus, immensa bonitate tua tot Sacramentis et auxiliis gratiae nos usque conservas; imo Corpus et Sanguinem tuum, id est teipsum modo prorsus admirabili in hoc Sacramento largiris. O caritas! o pietas! o novum et grande mysterium!

Tune, Deus meus, ad me venire dignaris? Rex ac Dominus summae Majestatis ad infimum servum? Deus ad hominem, Creator ad creatu-

ram? Unde hoc mihi, ut tu Domine, venias ad me? O Deus et Dominus noster! quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Et quis narrabit potentias tuas et auditas faciet omnes laudes tuas? Ego quidem, etsi omnia membra mea verterentur in linguas et omnes vitae meae respirationes in tui laudes et gratiarum actiones; attamen longe minor essem cunctis miserationibus tuis. Unde agnoscens insufficientiam meam id unum votis omnibus exopto, ut omnes creaturae tuae mecum et pro me laudent et benedicant nomen tuum in aeternum.

Offer. O Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui ex abundantia infinitae caritatis tuae dedisti mihi unigenitum Filium tuum! en ego miser peccator, nunc particeps factus Corporis et Sanguinis ejus; illum in pectore meo complectens et tanquam rem meam intime mihi conjunctam possidens: illum ipsum in unione caritatis, qua seipsum dedit in Ara crucis, tibi offero. Ecce hic est thesaurus, Pater clementissime, in quo totam meam spem reposui: hae sunt divitiae, quas offero in satisfactionem debitorum meorum.

Aspice, pie Pater, in faciem Christi tui; et cum sit hic Filius tuus dilectus, in quo tibi bene semper complacuisti, qui mihi nunc intime conjunctus est, supplex rogo, ut me quoque aspicias oculis misericordiae tuae. Sub ejus protectione ac tutela, sub umbra meritorum ipsius compareo coram te; ut illum praecipue intuens me quoque clementer ac benigne respicias, tanquam mancipium ejus ac servum perpetuum.

Ne permittas, obsecro, ut pereat illa anima, quae toties in se recipit Filium tuum: qui a te missus venit in mundum, quaerere et salvum fa-

cere, quod perierat. Hoc praesta mihi per infinitam misericordiam tuam. Amen.

Invoca Dominum. Sit, quaeso Domine, haec praecellentissima hostia, quam tibi modo obtuli, in plenam emendationem, expiationem atque satisfactionem pro omnibus peccatis et negligentiis meis et pro peccatis totius mundi. Per illam instaura omnes ruinas meas spirituales et supple omnem inopiam meam. Per illam mortifica in me, quidquid tibi displicet, et effice me hominem secundum cor tuum. Per illam conforma spiritum, animam et corpus meum, spiritui, animae et corpori sacrae Humanitatis tuae meque totum luce Divinitatis tuae illustra. Per illam largire, ut in te stabiliar, te perfecte et perseveranter diligam, intime tibi uniar ac totus in te transmuter, ad laudem nominis tui, quod invocatum est super nos.

Converte Domine, miseros peccatores; revoca haereticos atque schismaticos: illumina infideles te ignorantes: adesto omnibus, qui in necessitate et tribulatione aliqua constituti sunt: adesto his, qui se meis precibus commendarunt aut commendati esse cupiunt: adesto parentibus, propinquis et benefactoribus meis, vivis et defunctis. Miserere omnium, pro quibus orare debeo et tu rogari vis: da vivis veniam et gratiam: da fidelibus defunctis requiem lucemque sempiternam. Tibi laus, Christe Jesu, in saecula saeculorum. Amen.

Ora B. V. M. O Maria, Virgo et Mater sanctissima! ecce suscepi dilectissimum Filium tuum, quem immaculato utero tuo concepisti, genuisti, lactasti atque sanctissimis amplexibus strinxisti. Ecce cujus aspectu laetabaris, omnibus deliciis replebaris, illum ipsum tibi humiliter

et amanter repraesento et offero tuis purissimis brachiis amplexandum, toto corde amandum, sanctissimae Trinitati in supremum latriae cultum, pro tui ipsius honore et gloria et pro meis totiusque mundi necessitatibus offerendum. Tu maternam vim apud Deum obtines et fieri non potest, ut non exaudiaris. Sit igitur pietatis tuae, ipsam, qua apud eum vales, gratiam notam facere mundo; sanctis tuis precibus obtinendo reis veniam, medelam aegris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adjutorium et liberationem. Amen.

Ora omnes Sanctos. Omnes Sancti et Sanctae Dei, consolatio pauperculae animae meae, vos praesertim Patroni et Protectores mei, aspicite Magistrum, Auctorem et praemium sanctitatis vestrae ac universam vestram felicitatem, intra viscera mea manentem: mihique ab ipso, cui vos tantopere verbo et exemplo in hac vita conformastis, vestris intercessionibus impetrate, ut vestra semper vestigia sequar, et ut ad scopum mihi propositae perfectionis ac tandem plenus meritis, ad vestrum merear consortium pervenire.

Conclusio. Recedo a te modicum, Domine Jesu, sed non sine te, consolatio, felicitas, et omne bonum animae meae; et me amantissimo cordi tuo, cum omnibus fratribus, amicis et inimicis meis, humillime commendo. Ama nos, Domine, et transforma quam simillime in te. Totus occuper in te et propter te; nihilque sit objectum verborum meorum actionumque mearum internarum et externarum, nisi tu, amor meus, qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

Feria IV.

Adoratio. Adoro te, devote latens Deitas, — quae sub his figuris vere latitas. — Tibi se cor meum totum subjicit, — quia te comtemplans totum deficit. — Visus, tactus, gustus in te fallitur: — sed auditu solo tuto creditur. — Credo, quidquid dixit Dei Filius: — nil hoc verbo veritatis verius. — In cruce latebat sola Deitas, — at hic latet simul et humanitas: — ambo tamen credens atque confitens, — peto, quod petivit latro poenitens. — Plagas sicut Thomas non intueor, — Deum tamen meum te confiteor. — Fac me tibi semper magis credere, — in te spem habere, te diligere. — O memoriale mortis Domini, — panis vivus vitam praestans homini. — Praesta meae menti de te vivere, — et te illi semper dulce sapere. — Pie pellicane, Jesu Domine, — me immundum munda tuo Sanguine, — cujus una stilla salvum facere — totum mundum quit ab omni scelere. — Jesu, quem velatum nunc aspicio, — oro, fiat illud, quod tam sitio: — ut te revelata cernens facie — visu sim beatus tuae gloriae. Amen. S. Thomas Aquin.

Gratiarum Actio. Gratias ago tibi benigne Domine, benefactor animae meae, quod me dignum fecisti coelestium tuorum et immortalium Mysteriorum. Sed quid retribuam tibi? Vere minor sum omnibus donis tuis. O clementissime Deus! accipe igitur laudes et gratiarum actiones, quas Filius tuus Salvator noster in assumpta humanitate ab instanti Incarnationis toto vitae suae decursu persolvit: et illas praecipue, cum instituens hoc Sacramentum et quasi jam tum agnoscens, impares nos esse gratiis tanto beneficio

referendis, elevatis oculis in coelum ad te Deum Patrem suum omnipotentem omnium nostrum nomine tibi gratias egit.

Suscipe etiam, o mitissime Pater, illas gratiarum actiones, quas B. V. unigeniti Filii tui Mater tibi obtulit, quando eum, quem ego ipse jam inclusum pectori meo complector, ipsa suis castissimis visceribus concepit, gestavit et peperit; necnon et illas, quas toto vitae suae tempore et potissimum, quoties jam sublatum in coelos in Sacramento recepit, ex ardenti cordis desiderio et intima devotione persolvit.

Benedicant quoque et laudent te omnes angelici Spiritus, qui throno Majestatis tuae jugiter et trementes assistunt et cantant incessabili voce dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus.

Desidero quoque ex toto corde, ut omnes Sancti et amici tui, tecum modo regnantes in coelis, quorum communionem credimus, meam insufficientiam compensent suis dignissimis laudibus, quas unquam hic in terris in usu et veneratione hujus Sacramenti devotissime obtulerunt; et quas tibi modo decantant, cum revelata facie comedunt panem vitae et torrente voluptatis tuae potantur. Participem me fac, Deus, omnium timentium te et custodientium mandata tua.

O utinam pariter omnium piorum fidelium affectus, fervores, et omnia tibi in terris placentium vota, desideria et merita in me unum colligere possim; et sic tota animi intentione te amare et honorare pro tanto amore et honore, quo me in hoc Sacramento dignatus es!

Postulatio. Credo, Domine, sed credam firmius. Spero, Domine, sed sperem securius.

Amo, Domine, sed amem ardentius. Doleo, Domine, sed doleam vehementius.

Adoro te ut primum principium: desidero ut finem ultimum: laudo ut benefactorem perpetuum: invoco ut defensorem propitium.

Tua me sapientia dirige, justitia contine, clementia solare, potentia protege.

Offero tibi, Deus, cogitanda, ut sint ad te: dicenda, ut sint de te; facienda, ut sint secundum te; ferenda, ut sint propter te.

Volo, quidquid vis; volo, quia vis; volo, quomodo vis; volo, quamdiu vis.

Oro, Domine, ut intellectum illumines; voluntatem inflammes; corpus emundes; animam sanctifices.

A superbia non inficiar; adulatione non afficiar; a mundo non decipiar; a satana non circumveniar.

Gratiam praesta memoriam purgandi, linguam frenandi, oculos cohibendi, sensus coercendi.

Defleam praeteritas iniquitates; repellam futuras tentationes; corrigam vitiosas propensiones; excolam idoneas virtutes.

Tribue mihi, bone Deus, amorem tui, odium mei, zelum proximi, contemptum mundi.

Studeam superioribus obedire, inferioribus subvenire, amicis consulere, nemini invidere.

Meminerim, o Jesu! mandati tui et exempli, inimicos diligendo, injurias sufferendo, persequentibus benefaciendo, pro calumniantibus orando.

Vincam voluptatem austeritate, avaritiam largitate, iracundiam lenitate, tepiditatem pietate.

Redde me prudentem in consiliis, constan-

tem in periculis, patientem in adversis, humilem in prosperis.

Fac, Domine, ut sim in oratione attentus, in epulis sobrius, in munere sedulus, in proposito firmus.

Curem habere sanctitatem interiorem, modestiam exteriorem, conversationem exemplarem, vitam regularem.

Naturae invigilem domandae, gratiae fovendae, legi servandae, saluti promerendae.

Sanctimoniam assequar sincera peccatorum confessione, fervida Corporis Christi communione, continua mentis recollectione, pura cordis intentione.

Discam a te, Deus, quam tenue, quod terrenum; quam grande, quod divinum; quam breve, quod temporaneum; quam durabile, quod aeternum.

Da, mortem praeveniam, judicium pertimeam, infernum effugiam, paradisum obtineam. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Clemens Papa. XI.

Deprecatio pro aliorum necessitatibus. O Domine! cujus viscera misericordiae patent omnibus, qui neminem vis perire, sed omnes homines salvos fieri ideoque pro omnibus mortem subiisti et hoc Sacramentum instituisti, da, quaeso, Sacerdotibus concordiam et innocentiam; Regibus et Principibus tranquillitatem et pacem; Virginibus castitatem; Deo dicatis continentiam; conjugatis sanctimoniam; poenitentibus indulgentiam; justis perseverantiam; peccatoribus, ut mihi misero, veniam; viduis et orphanis protectionem; pauperibus sustentationem; peregrinantibus reditum; lugentibus consolationem; omnibus denique fidelibus christianis, vivis atque

defunctis, gratiam et vitam sempiternam. Amen. S. Augustinus.

Ad B. V. M. Obsecro te, Domina, sancta Maria, Mater Dei, pietate plenissima, summi Regis filia, mater orphanorum, consolatio desolatorum, Virgo ante partum, Virgo in partu et Virgo post partum, impetres mihi peccatori a dilecto Filio tuo Domino nostro Jesu Christo virtutum omnium complementum et sancti Spiritus gratiam. Is me per omnia bene disponat, animam meam custodiat, corpus meum regat et protegat, mentem erigat, mores componat, actus probet, cogitationes sanctas instituat, praeterita mala indulgeat, praesentia emendet et futura moderetur, vitam honestam et castam tribuat, fidem, spem et charitatem praestet. Articulos fidei me firmiter credere et praecepta legis observare faciat, sensus corporis mei regat, a peccatis mortalibus me semper liberet et defendat usque in finem, donec ad vitam aeternam tua intercessione perducar. Audi et intercede pro me, dulcissima Virgo Maria, Mater Dei et Regina coeli. Amen.

Ad Sanctos. O Sancti Sanctaeque Dei omnes et beati Spiritus angelici, quos Deus vultu suo semper laetificat; orare pro me non dedignemini. Saluto et veneror vos sincerasque Domino gratias ago, qui vos elegit et in suis benedictionibus praevenit. Eia, impetrate mihi veniam, impetrate gratiam et perfectam cum Deo unionem. Amen.

Conclusio. Deus, cujus misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimae Majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes: ut, qui petentibus postulata concedis, eosdem non

deserens, ad praemia futura disponas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Feria V.

Preces ex Imitatione Christi decerptae.

Admiratio. O dilecte mi, electe ex millibus, in quo complacuit animae meae habitare omnibus diebus vitae suae! O pacifice mi, in quo pax summa, requies vera! O Deus abscondite, cujus sermo cum humilibus! O vere ineffabilis gratia tua! O vere admirabilis dignatio tua! O amor immensus, animae meae singulariter impensus! O Jesu! quanta est dulcedo in convivio tuo! O quam dulce mihi foret, in praesentia tua ex intimo affectu lacrymas fundere et cum pia Magdalena pedes tuos lacrymis irrigare! Certe in conspectu tuo et sanctorum Angelorum tuorum, totum cor meum ardere deberet, et ex gaudio flere. O quam magnum suscepi Dominum! Quam dilectum induxi hospitem! Quam jucundum recepi socium! Quam fidelem acceptavi amicum! Quam speciosum et nobilem amplector Sponsum! O Jesu bone! sileant a facie tua coelum et terra et omnis ornatus eorum. Mane in secreto, anima mea, et fruere Deo tuo: ipsum enim habes, quem totus mundus tibi auferre non potest.

Laudatio. O dulcissime Salvator! Laudent te universi populi, tribus et linguae, et sanctum ac mellifluum nomen tuum cum summa jubilatione et ardenti devotione magnificent. Ecce omnium devotorum cordium jubilationes, spirituales affectus, mentales excessus ac supernaturales illuminationes et coelicas visiones tibi offero et exhibeo, cum omnibus virtutibus et laudibus ab omni creatura in coelo et in terra cele-

bratis et celebrandis. Accipe vota mea, Domine Deus meus, et desideria infinitae laudationis ac immensae benedictionis, quae tibi secundum multitudinem ineffabilis magnitudinis tuae jure debentur. Haec tibi reddo et reddere desidero per singulos dies et momenta temporum.

Gratitudo. O benignissime Jesu! quanta tibi gratiarum actio pro susceptione sacri Corporis tui debetur, cujus dignitatem nullus hominum explicare potens invenitur! Gratias tibi, o Pastor aeterne! qui me pauperem et exulem dignatus es pretioso Corpore et Sanguine tuo reficere. O! quid retribuam tibi, Domine, pro gratia ista, pro caritate tam eximia? Non est aliud, quod gratius dare queam, quam ut cor meum tibi Deo meo totaliter tribuam et intime conjungam. Dignare, Domine, manere mecum: ego volo libenter esse tecum. Hoc est totum desiderium meum, ut cor meum sit tibi unitum.

Oblatio. Sicut igitur tu, Domine, teipsum, expansis in cruce manibus et nudo corpore pro peccatis meis Deo Patri sponte obtulisti, ita ut nihil in te remaneret, quin totum in sacrificium divinae placationis transiret: ita et ego meipsum tibi voluntarie in oblationem puram et sanctam cum omnibus viribus et affectibus meis, quanto intimius valeo, offero. O Domine! rogo te in simplicitate cordis mei, suscipe me tibi in servum sempiternum, in obsequium et sacrificium laudis perpetuae; suscipe me cum hac sancta oblatione tui pretiosi Corporis, quam tibi modo, in praesentia Angelorum invisibiliter assistentium, obtuli pro me et pro cuncto populo tuo in salutem.

Petitio pro se. Praesta, Domine Deus, Salutaris meus, ut cum frequentatione Mysterii cre-

scat meae devotionis affectus. Salva animam meam, quam pretioso Sanguine tuo redemisti. Age mecum secundum bonitatem tuam, non secundum meam malitiam et iniquitatem. Vide omnia bona mea, quam pauca sint et imperfecta; illa emenda et sanctifica: ea grata habe et accepta tibi fac et semper ad meliora trahe. Me quoque pigrum et inutilem homuncionem ad laudabilem perduc finem.

O dulcissime atque amantissime Jesu! ecce sto ante te pauper et nudus, gratiam postulans et misericordiam implorans. Accende frigiditatem meam igne amoris tui: verte mihi omnia terrena in amaritudinem; omnia infima et creata in contemptum et oblivionem. Tu solus mihi ex hoc jam dulcescas usque in saeculum. Utinam me totaliter ex tua praesentia accendas, comburas et in te transmutes; ut unus tecum efficiar spiritus per gratiam internae unionis et liquefactionem ardentis amoris! Operare Domine mecum misericorditer, sicut saepius operatus es cum Sanctis tuis mirabiliter. O ignis semper ardens et nunquam deficiens! O amor corda purificans, et intellectum illuminans.

Petitio pro aliis. Intuere quoque, benignissime Jesu, pia desideria devotorum, necessitates parentum, amicorum, fratrum, sororum omniumque carorum meorum et eorum, qui mihi vel aliis propter amorem tuum benefecerunt et qui orationes et Missas pro se suisque omnibus dici a me desideraverunt et petierunt, sive in carne adhuc vivant, sive jam saeculo defuncti sint, ut omnes sibi auxilium gratiae, opem consolationis, protectionem a periculis, liberationem a poenis advenire sentiant; et ut ab omnibus ma-

lis erepti gratias tibi magnificas laeti persolvant.

Offero etiam tibi preces et hostias placationis pro illis specialiter, qui me in aliquo laeserunt, contristaverunt aut vituperaverunt, vel aliquod damnum vel gravamen intulerunt; pro his quoque omnibus, quos aliquando contristavi, conturbavi, gravavi, scandalizavi, verbis, factis, scienter aut ignoranter; ut nobis omnibus pariter indulgeas peccata nostra et mutuas offensiones.

Aufer, Domine, a cordibus nostris omnem suspicionem, indignationem, iram et disceptationem, et quidquid potest caritatem laedere et fraternam dilectionem minuere. Miserere, miserere, Domine, misericordiam tuam poscentibus; da gratiam indigentibus et fac nos tales existere, ut simus digni gratia tua perfrui et ad vitam proficiamus aeternam. Amen.

Oratio ad B. V. M. Commendo me tibi, serenissima vereque inclyta Virgo Maria, coeli terraeque Regina, quae in tuis sacratissimis visceribus eumdem Dominum et omnium Creatorem, quem ego modo suscepi, de Spiritu sancto conceptum digne portasti; precor te Matrem Dei sanctissimam, ut pro me apud eumdem Filium tuum intercedas et quidquid quacumque ratione in summi hujus Sacramenti celebratione deliqui, hujus negligentiae et indignitatis meae veniam mihi impetres. Tu semper casta, pura, innocens, post conceptum Filium etiam castior, purior, sanctior, Deoque gratior evasisti: utinam et ego tam divini Sacramenti perceptione ita sanctificer, ut deinceps cor et corpus meum ab omni lethalis peccati macula tuear impollutum. Tu concepto Filio tuo de Spiritu sancto, magnificas laudes de-

cantasti et in Deo Salutari tuo mirabiliter exultasti; fac meritis et precibus tuis, Virgo Mater, ut cum hac sacra communione novum et ardentem spiritum conjungam ac semper in gratiarum actione pie verser; tantoque Redemptori et hospiti me nunquam ingratum exhibeam, sed fidelem in omnibus servum ac ministrum. Amen.

Oratio ad omnes Sanctos. Felices Sancti, qui jam nostrae mortalitatis pelagus pertransistis, securi de vestra immarcescibili gloria: solliciti estote de mea multiplici miseria: date manus infirmo coelestis patriae Cives, et erigite jacentem, ut convalescens de infirmitate fortis efficiar in bello. Ad me respicite, Gens illustrissima et haereditas summi Dei, adhuc peregrinantem in hoc exilio, et mittite de coelo opem et consolationem. Circumdate me gaudentem et exultantem de vestra beatitudine et gratiam impetrate virtutes vestras imitandi: ut vestris suffragiis adjutus particeps fiam vestri gaudii et coronae. Amen.

Conclusio. Nunc dimittis Domine Jesu, servum tuum in pace: tu vero ne elongeris a me, Deus meus; in auxilium meum respice, quoniam insurgent in me per diem variae cogitationes, vim mihi facient variae tentationes. Da ut pertranseam illaesus; da ut perfringam eas. Pugna fortiter pro me et expugna malas bestias, concupiscentias dico illecebrosas. Impera ventis et tempestatibus: dic mari: quiesce; et aquiloni: ne flaveris: et erit tranquillitas magna. Benedic et sanctifica me benedictione coelesti. Protege et conserva animam servuli tui inter tot discrimina vitae corruptibilis, ac comitante gratia tua di-

rige per viam pacis ad Patriam perpetuae claritatis. Amen.

Feria VI.

Pii affectus. O Jesu bone! quid mihi est in coelo et a te quid volui super terram? Jam plenum est desiderium meum, plenum gaudium cordis mei: quia tu es plenitudo mea, omne bonum et desiderium meum. Refice, Domine, esurientem animam meam: accende frigiditatem meam igne amoris tui: illumina caecitatem meam claritate praesentiae tuae. Verte mihi omnia terrena in amaritudinem; omnia infima et creata in contemptum et oblivionem. Erige cor meum ad te in coelum et ne permittas me vagari super terram. Penetret, quaeso, hujus sacramenti virtus omnia intima mea: et quidquid in me pravum, quidquid vitiosum est, mortificet et eradicet. In te Jesu suavissime, sit omnis delectatio mea: taedeat me gaudii, quod est sine te; amara sit mihi omnis quies, quae non est in te. Emitte ex te, benignissime Jesu, amoris tui radios, qui me succendant et quidquid terrenum in me est, comburant et cousumant: ut igne inextinguibili caritatis tuae ardeam et vetus in me homo totus deficiat. Utinam me rapiat ignita vis amoris tui, quae me transformet in te et in te absorbeat ac me tecum unum efficiat.

Actus amoris. O Deus! ego amo te: nec amo te, ut salves me, aut quia non amantes te aeterno punis igne. Tu, tu mi Jesu, totum me amplexus es in cruce: tulisti clavos, lanceam multamque ignominiam, innumeros dolores, sudores et angores ac mortem; et haec

propter me ac pro me peccatore. Cur igitur non amem te, o Jesu amantissime? non ut in coelo salves me, aut ne aeternum damnes me, nec praemii ullius spe; sed sicut tu amasti me, sic amo et amabo te, solum quia Rex meus es et solum quia Deus es. Sanctus Franc. Xaver.

Gratiarum actio. Gratias tibi ago, Domine sancte Pater omnipotens, aeterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae satiare dignatus es pretioso Corpore et Sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi: et precor, ut haec sancta communio non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei et scutum bonae voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiae ac libidinis exterminatio: caritatis et patientiae, humilitatis et obedientiae omniumque virtutum augmentatio; contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium quam invisibilium, firma defensio: motuum meorum, tam carnalium quam spiritualium, perfecta quietatio: in te uno ac vero Deo firma adhaesio: atque finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo et Spiritu sancto, Sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata, et felicitas perfecta. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen. S. Thom. Aquin.

Oblatio. Protector meus aspice Deus et respice in faciem Christi tui. En Filius tuus ita se mihi communicavit, ut ego in illo et ille in me sit: en factus est unum mecum et ego unum cum illo. Ipsum igitur tibi offero, Pater aman-

tissime, ut thymiama suavissimi odoris ad maximam tui gloriam et honorem, in gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis; in remissionem peccatorum meorum et totius mundi, ad impetrandum mihi et omnibus, pro quibus oravi et orare debeo, omnia subsidia vitae temporalis et aeternae; et pro animabus omnium fidelium defunctorum. Suscipe Domine, cum hac sacratissima oblatione animam meam et corpus meum, omnes vires et affectus meos, ut sim perpetuum holocaustum jugiter ardens Majestati tuae; praesta, ut deinceps nec membra nec sensus nec potentias nec vitam habeam; nisi ut te amem et serviam tibi.

Reparatio injuriarum. O Jesu patientissime! qui innumeris contumeliis in Sacramento tuo afficeris, detestor et abominor ex toto corde meo omnes illas tibi illatas a peccatoribus injurias. Obsecro te per ineffabilem sacratissimi tui cordis caritatem, ut pro illis sis apud omnipotentem Patrem tuum propitiatio. Accende in me, o Jesu! per Corporis tui praesentiam zelum urentem; ut et commissa sacrilegia plangere et committenda avertere satagam.

Invocatio. Transfige, dulcissime Domine Jesu, medullas et viscera animae meae suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera, serenaque et apostolica sanctissima caritate: ut langueat et liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio tui; te concupiscat et deficiat in atria tua; cupiat dissolvi et esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat, panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum, supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem et saporem et omne delectamentum suavitatis; te, in quem desiderant An-

geli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae; te semper sitiat fontem vitae, fontem sapientiae et scientiae, fontem aeterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei; te semper ambiat, te quaerat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, de te loquatur et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui, cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantia usque in finem; et tu sis solus semper spes mea, salus mea, tota fiducia mea, divitiae meae, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, et possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa et firma et immobiliter sit radicata mens mea et cor meum. Amen. S. Bonav.

Deprecatio pro aliorum necessitatibus. Domine Deus omnipotens, Pater Christi tui benedicti Filii, exauditor eorum, qui recte invocant te, cognitor precum etiam eorum, qui tacent; gratias agimus tibi, quod nos dignos censuisti, qui participaremus sancta tua Mysteria, quae praebuisti nobis ad plenam eorum, quae bene cognovimus persuasionem, ad custodiam pietatis, ad remissionem delictorum; quoniam nomen Christi tui invocatum est super nos. Qui segregasti nos ab impiorum communione, aduna cum iis, qui tibi sunt consecrati; confirma nos in veritate per sancti Spiritus adventum; quae ignoramus revela; quae deficiunt supple; quae novimus corrobora. Sacerdotes inculpatos conserva in cultu tuo; Reges tuere in pace, Magi-

stratus in justitia, aerem in temperie, fruges in ubertate, mundum in omnipotente providentia: gentes bellicosas seda: errantes converte; populum tuum sanctifica: virgines conserva: conjuges custodi in fide; castos robora: debiles firma: caecos illumina: nosque omnes congrega in regnum coelorum, in Christo Jesu Domino nostro, cum quo tibi gloria, honor ac veneratio et sancto Spiritui in saecula. Amen.

Commendatio B. M. V. Sancta Maria, Mater Dei et Virgo, ego licet indignus, qui serviam tibi, attamen de materni cordis tui clementia confisus, eligo te hodie coram Angelo meo custode et tota coelesti Curia in meam Matrem et peculiarem Dominam, Patronam et Advocatam; firmiterque propono, me deinceps Filio tuo servire velle fideliter et devotus tibi manere perenniter.

Obsecro te Mater sacratissima, per amorem, quo Filius tuus jam moriturus in cruce semetipsum Patri suo, te vero Discipulo suo et hunc vicissim tibi commendavit; ut me suscipias in curam et tutelam tuam et adsis mihi in omnibus periculis et angustiis totius vitae meae; sed praecipue in hora mortis. Amen.

Conclusio. Mane in me benignissime Jesu: esto tutamen et continua salus animae et corporis mei. Repelle a me insidiantes mihi hostes: recedant procul a praesentia potentiae tuae; ut foris et intus per te munitus, recto tramite ad regnum tuum perveniam. Amen.

Sabbato.

Adoratio. Ave verum Corpus, natum de Maria Virgine: vere passum, immolatum in cruce

pro homine: cujus latus perforatum unda fluxit cum sanguine. Esto nobis praegustatum mortis in examine. O Jesu dulcis! O Jesu pie! O Jesu, Fili Mariae.

Pii affectus. Mirantur, bone Jesu, creaturae omnes, te in purissimum Mariae Matris tuae uterum descendisse; cum tamen integerrima illa et omni virtute ac gratia refertissima fuerit. An non mirari magis debeo, quod volueris ad me divertere, a me recipi, a me teneri, paupere, nudo, misero, miserabili?

Tunc Domine, Sanctus Sanctorum, in me manere dignatus es, qui sum sordes peccatorum? Itane voluisti honorare me, qui tamdiu fui immundum vas, ut fierem templum tuum, tabernaculum tuum et quasi theca sacrarum reliquiarum Corporis et Sanguinis tui, quae longe omnes Sanctorum reliquias excedunt? Benedicant te omnes Angeli tui pro tanta in me dignatione. Effice ergo, ut jam sciam et sciam semper vas meum possidere, non in passione desiderii sicut gentes, quae ignorant Deum, sed in sanctificatione et honore.

Da mihi, dulcissime Jesu, praesentiae tuae effectus persentire. Memini benedictionum, quibus cumulasti eos, qui te aliquando in domum suam exceperunt. Maria Mater tua, ubi te in suum recepit uterum, omnibus gratiae donis repleta est. Zachaeo publicano, cujus usus es hospitio, salus a Deo facta est. Simul atque obita pro nobis morte in lymbum descendisti, illum in Paradisum quemdam commutasti. Domum Obededom et omnia ejus propter Arcam testamenti large benedixisti. Benedic quoque domum cordis mei, in quam ingressus es: eam, quaeso,

in Paradisum converte et tuo sancto imple Spiritu.

Memini, piissime Jesu, sacris de te litteris esse mandatum, quod omnis turba quaerebat te tangere, quia virtus de te exibat et sanabat omnes. Ecce ego te jam non tetigi tantum, sed in me quoque recepi: exeat, quaeso, a te virtus illa divina, quae sanet animam meam, curet omnem ejus languorem et novas ei addat vires ad serviendum tibi omnibus diebus in sanctitate et justitia.

Gratiarum actio. O dulcedo cordis mei et vita animae meae et jucunda requies spiritus mei, dulcis Jesu! immortales tibi ago gratias pro omnibus beneficiis mihi collatis: signanter vero, quia hodie me dignum fecisti verum et immaculatum Corpus et Sanguinem tuum pretiosissimum consecrare, pertractare, illudque tibi offerre in memoriam tuorum mirabilium, ad tuam gloriam et in remissionem omnium peccatorum, tam meorum quam illorum, pro quibus orare et offerre proposui, illoque in salutem et consolationem animae meae cibari et nutriri. Quapropter vere dicere audeo: Cibus meus Christus et ego ejus. Multiplico ergo et quotiescumque respiro, multiplicare intendo meam voluntatem in infinitum in tuis laudibus: precorque beatissimam Virginem, Angelos, Sanctos, Sanctas et universas creaturas, pro me immensas tibi referre gratias. Imo, quia ista minime sufficiunt, te supplico, ut tibi ipsi gratias agere, te laudare et glorificare complaceas: et quia dignatus es istam indignam tuam tamen facere habitationem; dignare quoque apud ipsam perpetuam facere mansionem. Effice me hominem secundum cor tuum. Uni me tibi intime et totum transforma ac transmuta in

te. Salva me, Jesu Christe, et cunctam a me hostis antiqui depelle nequitiam per tuam innocentissimam Passionem. Oro itidem, ut digneris gratias et indulgentias omnes, quas hoc Sacrificio vel communione mediante acquirere et lucrari possum, concedere tam mihi quam aliis vivis et defunctis, quibus applicare proposui; quia te ipsum et pro ipsis exoro, pro quibus et tu vis et sanctissimus Pontifex intendit hac de causa me debere orare. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

Oblatio et Petitio. Adoro te et gratias ago tibi, benignissime Domine Jesu Christe, qui me vilissimum peccatorem admittere dignatus es ad splendidum vivificumque sacrae Mensae convivium. Heu mihi! quia nimis indigne complevi hoc sanctum Sacrificium. Miserere mei, ignosce mihi. Ego quod egi commendo divino cordi tuo emendandum et corrigendum. Suscipe, quaeso, haec sacrosancta Corporis tui mysteria, quae tibi obtuli, ad gloriam nominis tui sempiternam; ad honorem dulcissimae Genitricis tuae Virginis Mariae, ad honorem omnium Sanctorum tuorum omniumque beatorum Angelorum; ad salutem meam et omnium fidelium tam vivorum quam defunctorum. Suscipe hoc praecellentissimum Sacramentum in plenam emendationem, expiationem atque satisfactionem pro omnibus peccatis ac negligentiis meis et pro peccatis totius mundi.

Per illud sanctifica, o piissime Pater! Ecclesiam tuam: aufer ab ea omnia scandala et schismata, ut fiat unum ovile et unus pastor. Per illud effunde misericordiam tuam in gentes, quae te non noverunt et illumina corda illarum, ut te cognoscant et ament. Per illud dissipa consilia impiorum, ne regno tuo officiant et propagationi

gloriae tuae. Da Summo Pontifici, Praelatis et Ordinibus ecclesiasticis divinum tuum amorem, ut suo officio rite fungantur: Regibus, Principibus cunctisque Magistratibus sapientiam, qua justitiam fideliter administrent pacemque sequantur; ac populo tuo tuam benedictionem. Tribue agonizantibus veram contritionem tuumque amorem; inimicis meis tuam caritatem ac dulcedinem; amicis, benefactoribus et consanguineis tuam dilectionem: nosque et omnia nostra dirige, ut cultus tuus semper et ubique vigeat et perseveret. Animabus in purgatorio detentis, illis maxime, quae suffragiis nostris indigent vel quibus sum obligatus, requiem sempiternam concede ad beatam tui fruitionem.

Obsecratio pro peccatoribus. Aeterne rerum omnium effector Deus, memento, abs te animas peccatorum esse procreatas easque ad imaginem et similitudinem tuam conditas. Memento Jesum Filium tuum pro illorum salute atrocissimam subiisse necem. Noli, quaeso Domine, ultra permittere, ut isti in iniquitatibus suis perseverantes Filium tuum omnium Salvatorem contemnant: sed precibus Sanctorum tuorum et sanctissimae Ecclesiae ejusdem Filii tui Sponsae placatus, recordare misericordiae tuae; et oblitus inobedientiae et praevaricationis eorum effice, ut et ipsi tandem ex toto corde convertantur ad eum, quem misisti, Dominum nostrum Jesum Christum, per quem salvati et liberati sumus, cui sit gloria per infinita saecula saeculorum. Amen.

Ad B. V. M. O beata Maria, quis tibi digne valeat jura gratiarum ac laudum praeconia rependere, quae singulari tuo assensu mundo

succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quae solo tuo commercio recuperandi aditum invenit? Accipe itaque quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones; et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis et reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus: fiat impetrabile, quod fida mente poscimus: accipe, quod offerimus; redona, quod rogamus; excusa, quod timemus; quia tu es spes unica peccatorum. Per te speramus veniam delictorum; et in te beatissima nostrorum est exspectatio praemiorum. Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem. S. Augustinus.

Ad omnes Sanctos. O vos omnes Sancti et Electi Dei, respicite in me, quia dignum objectum oculorum vestrorum nunc factus sum. Loquimini pro me bona summo Regi, qui me Corpore et Sanguine suo suavissime refecit; et offerte ei merita vestra in supplementum imperfectionis meae. Gratias agite ei pro me et postulate, ut sacramentali sua praesentia non recedat a me, nisi relinquat post se animae meae largissimam benedictionem.

Conclusio. Adjuvet nos gratia tua omnipotens Deus, ut qui officium sacerdotale suscepimus, digne et devote tibi cum omni puritate et in conscientia bona famulari valeamus. Et si non possumus in tanta innocentia vitae conversari, ut debemus; concede nobis tamen digne flere

mala, quae gessimus, ut in spiritu humilitatis ac bonae voluntatis proposito tibi ferventius deservire valeamus. Amen.

Preces brevissimae.

Et quis ego sum Domine Deus meus, ut praestares mihi talia? Homo peccator sum, et non recedis a me! Ponis visitationem tuam pacem, et noscere me dignaris servam tuum, qui non sum similis unius servorum tuorum?

Gaudens igitur gaudebo, et exultabit anima mea in Deo meo. In sancto Israel laetabor. O mea omnia interiora confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus.

Sed quid dignum poterit esse beneficiis tuis, o bone Jesu! quid ad haec poterimus dignum dare aut tibi dignas oblationes offerre!

Laudent te Domine, omnes Angeli, et laudem dicant tibi omnes Sancti, et benedicat te omnis terra, quia visitasti me in Salutari tuo, et ego per singulos dies laudabo nomen tuum, et benedicam te in vita mea, quamdiu fuero.

O Domine! o amor mi! qui venisti affluens miserationibus, supereffluens bonitate, abundans dulcedine, superabundans charitate: O dulcissime Amator animarum, Vitaque cordium diligentium te, pie Jesu! quem intra me et adoro et saluto, et veneror, et exalto et toto me amo. Jesu benignissime! jam miserere mihi servo tuo, et exaudi vocem fletus mei.

Fac potentiam in brachio tuo, et dejice idola ad pedes tuos; quia scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli ser-

vies: Dic animae meae: Tu mutaberis in me, et ego mutabor in te, et vivet anima mea in gratiam tui. Vivat Jesus!

Converte me, et convertar ad te. Sana me et sanabor. Salvum me fac, et salvus ero.

Exeat virtus de sanctissimo Corpore tuo, et consumat, quidquid vitiosum in me et ruinosum est. Ablue cor meum aqua illa pretiosissima, quam divinus amor tuus ex nobilissima dulcissimi cordis tui rosa eliquavit: Sanguine vero tuo sacratissimo illud conforta, et monitis tuis dirige in viam salutis.

Tu, o Deus, qui magnes es cordium, trahe me post te. Trahe me vi amoris tui, magnitudine dilectionis tuae, robore gaudiorum tuorum. Ah! trahe me in vinculis dulcedinis tuae.

Recollige me, pie Jesu! recollige me indesinenter in me et a me ad te, in tuis visceribus, et repleto me vulnerum tuorum sacratissima memoria, ut provideam te Dominum meum in conspectu meo semper.

O Deus animae meae! pone te ut signaculum super cor meum, ut amem te super me et omnia. Pone te ut signaculum super brachium meum, ut omnia agam pure propter ac jugiter in te, quod unum est necessarium. Pone te ut signaculum super os et labium meum, ut pauci et circumspecti sint sermones, simque ego vir ille perfectus, qui in verbo non offendit, et totus totus Deo suo vivit, ad exemplum fidelium.

Tibi inde commendo me medullitus omni quo possum modo, omni quo debeo affectu filiali, omni quo teneor amore.

Tu essentia essentiae meae, suscipe me et omnes, pro quibus preces meas effudi coram te, in visceribus misericordiae tuae, et salvum fac

populum tuum, Deus meus, sperantem in te, ut cantemus misericordias tuas in aeternum.

Preces post Missam pro Defunctis.

Domine, quis ego sum, quia magnificas me coram te, annumerans me his, super quos mirificas misericordias tuas per singulos dies, praebens mihi cum filiis alimoniam vitae de regali mensa tua, qui non sum dignus habere partem cum catellis tuis!

O ineffabilis gratia! o mira circa me tuae pietatis dignatio! mirentur Angeli videntes ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei, Regis mei, qui est in Sancto.

O Domine Jesu Christe, unice Salvator meus! ex toto corde te adoro, et ob tantam mihi concessam gratiam infinitas gratias tibi ago.

Ago inquam, dulcis Jesu! gratias, ago totas, ago omnimodas, ago omnipossibiles, ago tibi placitas et debitas, ago toto me, et quia omni amore et laude infinite dignissimus es, te super omnia diligo, doleoque, quod te hactenus non amarim, nec in praesenti, in quantum mereris, te amem, et in hujus defectum offero tibi omnes adorationes, gratiarum actiones, affectus et actus amoris, reverentiae et gratitudinis, quos omnes tui Sancti, ac fideles tui famuli, animae purgandae, elicuerunt ac nunc de facto eliciunt.

Doleo ex toto corde, o Domine Jesu Christe, et de nulla re magis dolebo, quam quod te toties et tam multiformiter offenderim, et mihi summopere displicet, quod illum dolorem in me non sentiam, qualem summa tua bonitas et Majestas requirit.

Quare humillime per merita sacratissimae Passionis tuae veniam peto, offerens me ipsum cum illa tua benedicta Passione et omnia, quae hactenus toto vitae meae cursu in remissionem peccatorum meorum feci aut pertuli, aut deinceps facturus aut passurus ero; et ut illa confidentia, quam concepi, quod mea peccata condonaturus sis, in tua infinita bonitate fundata est: sic per illam te deprecor, ut mihi gratiam concedas abundantem me serio emendandi, et poenas purgatorii exacta status et officii mei observatione, purissima in rebus omnibus intentione, compassiva erga te in carne passum, perpetua erga defunctos et tenera erga proximum inopem et afflictum devotione, nec non frequentissima mortificatione mei ipsius et multa patientia in rebus adversis uti et rarissimo lapsu in venialia, horumque per contritionem perfectam, deprecationem humilem etc. etc. abolitione, feliciter evadendi.

O Creator et Servator animae meae, Deus meus, omne bonum meum, tota spès et salus mea! miserere, obsecro, mihi indigno servo tuo, et concessa in praesenti scelerum venia me non sinas in futuro saeculo excruciari. Ante faciem indignationis tuae, in illis stridentibus flammis, ipsius inferni tormento aemulis, Domine, quis sustinebit? —

O miserator et misericors! noli quaeso, mihi indignari. Noli faciem tuam a me avertere. Noli me, obsecro, in diem irae furoris tui ducere, et ligatis manibus pedibusque in tenebras exteriores projicere, ubi erit fletus et stridor dentium, et una hora gravior in poena illa, quam hic centum anni in gravissima poenitentia. Revela oculos meos.

Nunc labor meus est fructuosus, fletus ac-

ceptabilis, gemitus exaudibilis, dolor satisfactorius et purgatorius. Conforta me Deus Israel, ut stem contra me, et non parcam mihi in hoc saeculo, ut parcas tu in futuro; quia satius est purgari fonte quam igne. Haec mihi sit consolatio, ut dum mortificas, vivifices, dum feris, sanes, et dum uris et secas, hoc facias, ut in aeternum parcas. Fiat voluntas tua.

Domine salutis meae! quum angustiaretur in me anima, recordatus sum tui, ut veniat oratio mea ad templum sanctum tuum; tu enim nobiscum Domine Deus noster.

Ecce in tabernaculis fiduciae effundo animam meam et levo ad te manus meas, ut parcas servo tuo. Ah! sint oculi tui aperti et aures tuae erectae ad deprecationem meam, Deus, Salvator meus; fiducialiter agam et non timebo.

Orationes Sanctorum pro Defunctis. Memento Domine omnium praedormientium in spe resurrectionis vitae aeternae, et fac eos requiescere, ubi visitat lumen vultus tui. S. Basilius M.

Da Domine, requiem servis tuis, requiem, quam praeparasti Sanctis tuis. Illuc convertantur animae eorum, ubi mortis aculeum sentire non possint.

Sit igitur hoc magnum pietatis Sacramentum, Domine Deus meus, sit illis hodie magnum et plenum gaudium, ut inebriati de fonte bonitatis tuae, qui per lanceam militis de latere emanavit crucifixi corporis tui, exultent in laude et gloria tua sancta. S. Ambrosius.

O piissima Virgo Maria! quae dixisti ad S. Birgittam viduam: ,,Ego sum Mater Dei et Mater omnium, qui sunt in purgatorio, quia omnes poenae, quae debentur purgandis pro peccatis

suis, per preces meas, qualibet hora mitigantur.“ Oramus te, ut iis, quos in purgatorio ignis examinat, impetres refrigerium. S. Bonav.

Petitio pro vivis. Domine finaliter obsecro, converte miseros peccatores. Revoca haereticos atque schismaticos. Illumina infideles te ignorantes. Adesto omnibus, qui in necessitate et tribulatione aliqua constituti sunt. Adesto his, qui se precibus meis commendaverunt, vel commendati esse cupiunt. Adesto parentibus, propinquis et benefactoribus meis. Miserere omnium, pro quibus ego orare debeo, et tu rogari vis.

Miserere hujus loci et congregationis fidelium et concede, ut sit hic pax, humilitas, charitas, continentia et puritas tam corporis quam animae; concede, ut omnes digne emendemus atque corrigamus nos et timeamus te et serviamus tibi, fideles usque ad mortem, cujus horam prae oculis semper habeamus, ut ad eam simus parati, et felices illi, qui, quum veneris, inveniantur vigilantes, atque digni intrare absque medio in gaudium Domini sui. Amen.

Pro Visitatione S. S. Sacramenti.

Salutatio S. S. Sacramenti.

Salve nobilissimum Corpus et pretiosissime Sanguis Domini mei Jesu Christi, sub hac panis specie vere praesens; te adoro tali cultu et devotione, qua novem Angelorum chori te venerantur et colunt. Coram te procido in spiritu

humilitatis credens et confitens, quod tu Dominus meus et Deus meus vere hic contineаris.

Salve nobilissimum Corpus Salvatoris mei Jesu Christi, vera hostia in cruce immolata. Adoro te in unione istius adorationis, qua Humanitas tua adoravit Divinitatem: et cum affectu totius Universitatis ago tibi gratias, quod pro salute nostrâ hic delitescere digneris.

Salve pie Jesu, Verbum Patris, Splendor gloriae, Fons pietatis, Salus mundi, sacra Hostia. Salve Jesu Christe, Splendor Patris, Princeps pacis, Janua coeli, Panis vivus, Virginis Partus, Vas Deitatis.

Credo firmissime, quod tu Deus meus hic praesens sis, meque ex hoc Sacramento intuearis, atque intima cordis mei perspicias. Credo, quod sub hac panis specie non solum caro et sanguis tuus, verum etiam Deitas et Humanitas tua contineantur. Quod licet intelligere nequeam, adeo tamen firmiter credo, quod vitam et sanguinem meum pro ea veritate profundere paratus sim.

Coram te, o s. s. Sacramentum cum summa reverentia procido, et cum omnibus Angelis et Archangelis, cum Thronis et Dominationibus, cum Cherubinis et Seraphinis, cumque omni militia coelestis exercitus, hymnum gloriae tuae concino, dicens: Centies millies laudetur s. s. Altaris Sacramentum.

O intima medulla paterni cordis, gratias tibi ago per mutuam gratitudinem colendae semper et adorandae Trinitatis pro eo, quod hoc inaestimabile Sacramentum instituisti, per quod coeli et terra reconciliantur, et immensis gratiarum donis perpetuo replentur.

Glorifico et magnifico sapientem et benignam

omnipotentiam tuam, laudo et adoro omnipotentem et benignam sapientiam tuam: benedico et gratias ago omnipotenti et sapienti benignitati tuae, Christe Jesu, quod praevaluisti, scivisti et dignatus es in salutis nostrae subsidium hoc praemagnificum Sacramentum instituere.

O unica et vera fiducia animae meae: Christe Jesu, te laudo, te amo, te colo, te adoro atque humillime deprecor, ut in hac hora te Deo Patri pro nimis debitis meis offeras, sicut te ipsum in cruce pro totius mundi reatu obtulisti.

O Christe Jesu, dulcis et unicus amor meus, oculis piissimae misericordiae tuae respice me indignissimum humiliter coràm te prostratum, atque peccatorum meorum veniam toto corde poscentem.

O Flos nobilissime de radice Jesse, per ineffabilem amorem praedulcissimi cordis tui miserere mei, et recipe me in gratiam tuam propter gloriàm nominis tui.

O Pater amantissime, offero tibi hunc dilectum Filium tuum, in perpetuae laudis tuae holocaustum, et in propitiationis peccatorum nostrorum juge sacrificium. Respice quaeso in faciem Christi tui, et memento illius copiosissimae satisfactionis, quam tibi pro peccatis nostris pependit in cruce, et miserere nostri. Amen.

Commendatio sui. Commendo me tibi, o bone Jesu! intra mellifluum cor tuum absconde me, nec permitte me in aeternum separari a te. Sis mihi in vita solatium, in morte viaticum, in aeternitate praemium. Id rogo te pro me et omnibus amicis meis per lacrymas, sudorem et sanguinem tuum. Amen.

Petitio Benedictionis. Benedic mihi, Domine Jesu, cum Patre et sancto Spiritu, ube-

remque largire gratiam amplectendi semper et in omnibus, nunc et in hora mortis tuam sanctissimam voluntatem. Amen.

Litaniae Eucharisticae,

ex Merlo Horstio.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

Pater de coelis Deus, qui sic dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares eumque pro nobis carnem sumere et crucem subire fecisti:

Miserere mei, ut cum totis visceribus et intimis amoris affectibus excipiam; et meipsum totum, quantus sum, tibi reddam, nec mihi sed tibi vivam.

Pater aeterne, qui amore nostri proprio Filio non pepercisti, sed pro nobis omnibus illum tradidisti:

Miserere mei, ut tantae charitatis opus grata mente recolere atque in hoc sacro Mysterio commemorare valeam.

Pater sanctissime, qui misisti Filium tuum in mundum non ut judicet mundum, sed ut mundus salvetur per ipsum:

Miserere mei, ut Corpus et Sanguis ejus non mihi sint ad judicium et condemnationem, sed ad vitam et salutem.

Pater sapientissime, qui mirabili consilio salutem nostram operatus es in medio terrae: Filium tuum, quem ab aeterno tibi aequalem genuisti, in tempore de Virgine nasci et in hoc Sacramento, novo et admirabili modo exi-

stere, et usque ad consummationem saeculi nobis adesse voluisti:

Miserere mei, ut tam ineffabilis gratiae et charitatis tuae beneficiis nunquam ingratus inveniar.

Pater optime, apud quem Advocatum habemus Jesum Christum, qui est propitiatio pro peccatis nostris:

Miserere mei, ut per eum peccatorum veniam et indulgentiam apud te consequi merear: ecce enim Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Pater potentissime, qui voce clara testatus es, hunc esse Filium tuum dilectum, in quo tibi bene complacuit:

Miserere mei, et quia tibi de actibus meis placere non valeo, respice in faciem Christi tui, ut per eum gratiam in oculis tuis inveniam.

Pater liberalissime, qui juxta promissionem Filii tui dilectissimi dabis nobis, si quid petierimus in nomine ejus:

Miserere mei, ut hoc, quod unice precor, obtineam: nimirum, ne unquam indigne vel ad judicium Corporis et Sanguinis Filii tui mysteria sumam.

Pater orphanorum, in quem sperant oculi omnium, et tu das illis escam in tempore opportuno:

Miserere mei, et panem quotidianum da mihi hodie; panem, inquam, vivum, qui de coelo descendit, ut confirmet cor meum et nutriat in aeternum.

Fili Redemptor mundi Deus, qui ex infinita charitate opus nostrae redemptionis suscepisti: et in castissimo Mariae Virginis utero carnem sumens, in similitudinem hominum factus es et habitu inventus ut homo:

Miserere mei, ut tam immensae charitatis tuae, et sanctissimae Incarnationis memoriam intimo corde recolam, quoties per hoc Sacramentum nasceris in anima mea.

Jesu dulcissime Salvator, qui parasti mensam in conspectu nostro adversus omnes, qui tribulant nos:

Miserere mei, ut nunquam praevaleant adversum me inimici mei, nec timeam mala, quoniam tu mecum es et in hoc Sacramento mihi intime praesens.

Jesu amabilissime, qui dixisti: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos:

Miserere mei, ut relever pondere peccatorum meorum, quoniam sicut onus grave gravata sunt super me; et refice hoc coelesti pabulo esurientem ac deficientem spiritum meum.

Jesu misericordissime, qui misertus es super turbas, diu te sustinentes et non habentes, quod manducarent, mirabili virtute potentiae tuae omnes ad satietatem pavisti:

Miserere mei, ut non deficiam in via, si fuero coelesti fraudatus alimonia.

Jesu liberalissime, qui pinguem nobis dedisti panem, praebentem delicias regibus, et cibas nos ex adipe frumenti:

Miserere mei, ut sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, nec arescat aliquando cor meum, si obliviscar comedere panem meum.

Jesu benignissime, qui nos exhortaris ad sumendum te, dicens: Caro mea vere est cibus et Sanguis meus vere est potus; et: Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis:

Miserere mei, et da mihi hunc panem et po-

tum digne sumere, ut non esuriam nec sitiam iterum, nec moriar in aeternum.

Jesu suavissime, quem Zachaeus suscepit gaudens in domum suam: ac centurio prae reverentia non est ausus recipere sub tectum suum:

Miserere mei, ut utriusque affectum, id est, amorem et timorem, semper jungam, cum te suscipio in domum meam.

Jesu humillime, qui etiam cum publicanis et peccatoribus familiarius agere et manducare dignatus es, dicens: non esse sanis opus medico, sed male habentibus:

Miserere mei, ut ad me quoque peccatorem divertere digneris; et sana animam meam, quia infirmatur ad mortem.

Jesu Rex magne et mirifice, qui ut ostenderes potentiam ac divitias regni tui, fecisti nobis grande convivium, et ad illud omnes regni tui subditos tam amanter vocare dignatus es:

Miserere mei, ut ad hoc divinum convivium laetanter et propere, sed nunquam nisi veste nuptiali indutus accedam.

Jesu amantissime, qui desiderio desiderasti, antequam patereris, hoc pascha manducare cum discipulis tuis:

Miserere mei, ut quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita ad te Deum vivum in hoc Sacramento desideret anima mea.

Jesu purissime, qui volens instituere hoc Sacramentum, primum pedes discipulorum tuorum, positis in terram genibus, abluisti in signum puritatis ac munditiae, quam nobis haec s. s. Mysteria sumpturis commendatam esse voluisti:

Miserere mei, et amplius lava me ab iniqui-

tate mea, et a peccatis meis munda me: non tantum pedes, sed et manus et caput abluens; id est, ut affectus et opera et intentio pura sint, dum mensae tuae particeps esse cupio.

Jesu benignissime, qui lignum vitae in medio Paradisi, id est, Ecclesiae tuae, contra omnes morbos et ipsam mortem animae posuisti:

Miserere mei, ut fructum vitae et immortalitatis inde capiam, et renovetur ex eo sicut aquilae juventus mea.

Jesu largissime, qui teipsum nobis dedisti nascens in socium, convescens in edulium, moriens in pretium et regnans demum daturus es in praemium:

Miserere mei, ut pro tantis beneficiis omni tempore benedicat tibi anima mea, et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto tuo.

Jesu veracissime, qui te ipsum tradens in cibum et potum, dixisti: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur; et: Hic est Sanguis meus, qui pro vobis effundetur:

Miserere mei, ut non vacillem in fide et verbis oris tui: quia tu es ipsa veritas, in cujus ore non est inventus dolus aut mendacium; es quoque Deus summe potens, apud quem non est impossibile omne verbum.

Jesu mitissime, qui discessurus ex hoc mundo ad Patrem reliquisti nobis juge monumentum immensi amoris tui, et fecisti in hoc Sacramento memoriam mirabilium tuorum jubens, nos hoc facere in tui commemorationem:

Miserere mei, ut semper memoria memor sim tui, ineffabilem potentiam, sapientiam ac bonitatem tuam hic relucentem venerer assidue; nec unquam obliviscar omnes retributiones tuas.

Jesu mansuetissime, qui nec Judam a

consortio discipulorum et mensa tua in ultima Coena excludere voluisti:

Miserere mei, ut ego, heu nimis indignus et infidelis servus tuus, nunquam cum Juda fiam reus Corporis et Sanguinis tui.

Jesu gratissime, qui peracto hoc Mysterio coram discipulis tuis Patri aeterno gratias egisti, et hymno dicto ad hortum, orationis locum, egressus es:

Miserere mei, ut nunquam ab hoc tam excellenti convivio ingratus recedam, sed tanti beneficii seria consideratione magis magisque in tui amorem exardescat anima mea.

Jesu Sacerdos in aeternum et Pastor bone, qui temetipsum in Ara crucis obtulisti victimam, et posuisti animam tuam pro ovibus tuis, easque pascis ipso Corpore et Sanguine tuo:

Miserere mei, et quia erravi sicut ovis, quae periit, require servum tuum et reporta me humeris tuis in ovile tuum et pasce in loco pascuae, ubi me collocasti.

Jesu clementissime, qui discipulis in Emaus euntibus te specie peregrini adjunxisti, et in fractione panis demum te cognoscendum praebuisti:

Miserere mei, ut te, quem sub his figuris vere mihi praesentem credo, etsi oculis non video, tandem revelata facie contemplari merear: et interim, dum me dulci alloquio tuo et pabulo Corporis tui pascere dignaris in via; amore et desiderio tui ardens in me sit cor meum.

Spiritus sancte Deus, qui mysterium Incarnationis Domini N. Jesu Christi mirabili virtute Divinitatis operatus es in utero Virginis, eam ineffabili modo foecundans et sanctificans,

ut dignum Filii Dei habitaculum effici mereretur:

Miserere mei, ut ego quoque eundem Dominum ac Deum meum sincero affectu ac puro corde in hoc Sacramento concipere et deinceps sanctis operibus palam ostendere valeam.

S. Trinitas unus Deus, qui aperis manum tuam, et imples omne animal benedictione:

Miserere mei, ut panis ille, qui confirmat cor hominis, detur mihi ad vescendum, et in fortitudine cibi illius ambulem per hoc desertum usque ad montem sanctum tuum.

S. Trinitas unus Deus, qui filiis Israel in memoriam liberationis a dura servitute Pharaonis agnum paschalem, nostri Salvatoris typum, edere jussisti:

Miserere mei, ut quotiescumque sumo haec divina Mysteria, nostrae redemptionis opus grata mente recogitem.

S. Trinitas unus Deus, qui filios Israel, per desertum euntes manna de coelo et cibo angelico, omne delectamentum in se habente, pavisti, sed tandem super eo nauseantes severe punisti:

Miserere mei, ut purgato cordis palato gustem et videam, quam suavis sit Dominus; nec unquam nauseet anima mea super cibo isto tanquam levissimo.

S. Trinitas unus Deus, qui non semel olim irreverentiam et injuriam circa Sacrificium et Arcam (figuras tantum et umbras hujus Sacramenti nostri) commissam gravi punitione castigasti:

Miserere mei, ut his exemplis monitus, cautius, sanctius et religiosius sacrosancta Mysteria tua tractare satagam.

S. Trinitas unus Deus, qui pro infinita clementia tua elegisti me in ministrum tuum, et de stercore erigens pauperem, voluisti me fungi Sacerdotio, ut offeram tibi dona et Sacrificia in odorem suavitatis:

Miserere mei, ut huic tam sublimi et sanctae vocationi dignis moribus respondeam tibique puris manibus ac mundo corde semper immolem Sacrificium laudis, et reddam tibi Altissimo vota mea.

S. Trinitas unus Deus, qui vis sanctos habere ministros, dicens: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum:

Miserere mei, ut a terrenis curis et carnis desideriis abstrahatur cor meum, ut in sanctitate et justitia coram te servire valeam omnibus diebus vitae meae.

Sancta Maria, quae sola inter mulieres benedicta, ad altissimum dominicae Incarnationis mysterium electa et a Spiritu sancto praeparata, Dominum coeli et terrae castissimis visceribus tuis concipere, novem mensibus gestare ac mundo Salvatorem edere meruisti:

Ora pro me, ut et ego indignus famulus tuus hunc ipsum Dominum imo filium tuum pura mente in hoc Sacrificio suscipere et portare valeam.

Omnes s. s. Angeli et Archangeli, qui Dominum vestrum propter nos hominem factum humiliter adorastis, et jacentem in praesepio Regem vestrum cum stupore venerati estis, nec non gaudium de nato Salvatore nuntiastis, et jam regnanti in coelis ad ministerium semper adsistitis; quin etiam ipsum Altare, celebrante Sacerdote, frequentes ac venerabundi cingitis:

Orate pro me, ut et ego hunc panem Ange-

lorum digno semper honore tractem, et ejus frequenti usu sic confirmetur cor meum, ne unquam mihi praevaleant inimici mei.

Sancte Joseph, qui in sponsum Mariae deiparae, et in Nutritium Christi Jesu a Deo delectus, sponsae et conjugi tuae sedulam curam et obsequium, alumno ac filio tuo putatitio omnem cultum et honorem praestitisti:

Ora pro me, ut et ego utrique sedulo famulari valeam: et praesertim Christo in venerabili Sacramento debitum cultum ac reverentiam semper exhibeam.

Sancte Simeon, qui longa expectatione et vehementi desiderio Messiam videre cupivisti, eumque tandem oculis tuis cernere et in ulnas tuas suscipere meruisti, dicens prae gaudio: Nunc dimittis, etc.:

Ora pro me, ut et ego ardenter desiderem videre Jesum in gloria, nec minus vehementi desiderio ad ipsum in hoc Sacramento vere praesentem semper anhelem, eumque suavissime complecti merear ulnis animae meae.

Sancti Magi et Reges, qui stella duce de longinquo venientes ad Regem regum recens natum properastis, eique munera vestra singulari fide et intima devotione, procidentes in terram, humiliter obtulistis:

Orate pro me, ut ego quoque ad hunc ipsum Regem vere in hoc Sacramento praesentem adorandum et muneribus meis licet exiguis honorandum simili fide et religione veniam, vel potius donis ejus praeveniar, et simili qua vos clementia suscipiar.

Omnes s. s. Patriarchae et Prophetae, qui variis typis, figuris et umbris hujus Sacrificii et Sacramenti mysteria praefigurastis; et

ad Messiam ingenti desiderio, multis votis ac suspiriis anhelastis:

Orate pro me, ut ego, non quidem umbram, sed rem ipsam; non figuram, sed ipsam veritatem; non Arcam, sed Sanctum Sanctorum; non oves aut boves, sed ipsum Dei Filium sancte tractare ac puro corde complecti valeam.

Omnes s. s. Innocentes, qui Christo recens nato tenella corpora vestra et ipsos infantiae atque innocentiae annos novelli Martyres consecrastis:

Orate pro me, ut ego ingrediar in innocentia mea ad Altare Dei, et una cum hoc me ipsum Deo meo hostiam vivam, sanctam, placentem offerre valeam.

S. Joannes Baptista, qui visitatus a Christo et Matre ejus, exultasti prae gaudio in utero matris tuae. Postmodum vero indignum reputabas te, qui solveres corrigiam calceamenti ejus; dignus tamen, qui, ipsius Christi praeconio, maximus inter natos mulierum et plus quam Propheta audires, et sacram ipsius verticem baptizando contigeres:

Ora pro me, ut et ego laetabundus introeam ad Altare Dei, ad Deum, qui laetificat juventutem meam. Sed tamen non sine timore et profunda humilitate coram tremenda ejus Majestate comparere studeam.

S. Petre princeps Apostolorum, qui Christum Filium Dei vivi, non quidem ex instinctu carnis et sanguinis, sed revelatione aeterni Patris in coelis, confessus es: et pascendas ab eo oves sed et claves coeli accepisti:

Ora pro me, ut ego in hoc Sacramento viva et immobili fide confitear verum Deum ac Dominum meum Jesum Christum eumque vere ac rea-

liter hic praesentem agnoscam, proindeque eum, ut par est, verear.

S. Paule, qui factus ex lupo agnus; ex persecutore praedicator Evangelii; ex vase contumeliae vas electionis: et raptus in tertium coelum de coelestibus mysteriis singulariter edoctus fuisti adeoque institutionem et legitimum usum hujus Sacramenti gravissimis verbis tradidisti:

Ora pro me, ut ego accessurus ad haec tremenda Mysteria prius serio juxta monitum tuum probem meipsum, sollicite cavens, ne illa ad judicium et mortem suscipiam nec unquam reus efficiar Corporis et Sanguinis Domini.

S. Joannes, dilecte Domini, qui in novissima Coena singularis tui erga Magistrum, ejusque vicissim erga te amoris fiducia recubuisti super pectus Domini et inde suxisti fluenta coelestia, quae eructasti postea scribens Evangelium, et instar aquilae sublimius evolans ad contuenda nobisque reseranda divini et incarnati Verbi mysteria:

Ora pro me, ut ego ad Christum Salvatorem meum, in Sacramento praesertim, magis trahar amore, quam deterrear timore: et sancta fiducia innitar super Dilectum meum, hauriamque in gaudio aquas vitae de fontibus Salvatoris.

Omnes s. s. Apostoli, qui in ultima Coena ab ipso Christo Salvatore Sacerdotes creati, potestatem accepistis consecrandi haec s. s. Mysteria; sed praemissa pedum lotione, quasi symbolo puritatis, de interiori munditie hic necessaria admoniti, et sic ad verum agnum, id est, Corpus et Sanguinem Domini vestri manducandum admissi estis:

Orate pro me, ut ego gratiam et munus Sa-

cerdotii, per vestros successores manuum impositione mihi collatum, debito honore venerer, et non nisi mundata prius conscientia ad participanda haec divina Mysteria veniam.

S. s. Evangelistae, qui institutionem hujus Sacramenti illustri testimonio asseruistis:

Orate pro me, ut ego plena fide, spe viva, charitate fervida hoc magnum Mysterium venerari semper ac participare valeam.

Omnes s. s. Discipuli Domini, qui una cum primis fidelibus perseverantes eratis quotidie in communicatione fractionis panis, ita ut credentium esset cor unum et anima una, nec quisquam aliquid suum esse diceret:

Orate pro nobis, ut et nos, qui de uno pane et de uno calice participamus, non nisi in unione pacis et vinculo charitatis ad Sacramentum pacis et amoris accedamus: idipsum dicamus et sentiamus omnes, et sic unanimes uno ore honorificemus et glorificemus Deum et Dominum Jesum Christum, qui est pax nostra faciens utraque unum.

Omnes s. s. Martyres, qui Christo Regi Martyrum, Corpus et Sanguinem suum nobis in Ara crucis et communionis offerenti, corporis et sanguinis vestri victimam reddidistis:

Orate pro me, ut ego spirituali martyrio mortificem membra mea super terram, et oblaturus sacra Mysteria, me ipsum prius mactem Deo hostiam vivam, acceptabilem, sanctam Deoque placentem, sacrificium justitiae in odorem suavitatis.

Omnes s. s. Pontifices et Confessores, Sacerdotes Domini, qui ut ministri Christi et fideles dispensatores mysteriorum Dei, sancte functi estis Sacerdotio, et pro populo ho-

stiam placationis frequenter obtulistis, eumdemque pane verbi et Sacramenti indefesse pavistis:

Orate pro me, ut et ego munere fidelis Sacerdotis strenue fungar, ne oblata salutis remedia sprevisse, vel gratiam Dei in vacuum recepisse forsan inveniar.

S. Francisce, qui conscius puritatis ac sanctitatis ad Sacerdotium requisitae, ab eo prae reverentia abstinuisti:

Ora pro me, ut et ego munus tam sanctum et sublime condigne aestimare ac honorare studeam.

S. Thoma de Aquino, qui angelico pollens ingenio et excellenti doctrina, cultum ac venerationem sanctissimi Sacramenti singulariter in Ecclesia promovisti:

Ora pro me, ut hujus Sacramenti fides, devotio et reverentia magis in dies crescat ac proficiat in anima mea.

Omnes s. s. Monachi et Eremitae, qui egressi de Aegypto hujus saeculi, id est, mundo mortui et avulsi ab uberibus, ablactati a lacte, quod propinat mundus, non amplius suspirastis ad ollas carnium, sed concupiscentias carnis viriliter calcantes, cibo Angelorum, manna de coelo, pane vivo pavistis in deserto hujus saeculi animas vestras, donec veniretis ad terram promissionis lacte et melle manantem:

Orate pro me, ut ego viles Aegypti cibos fastidiam; voluptates, inquam, saeculi spernam prae desiderio hujus cibi coelestis, nec delecter siliquis porcorum, cui datum est vesci pane filiorum.

Omnes s. s. Virgines et Viduae, quae plus quam virili animo, constans propositum con-

tinentiae et castitatis arripuistis; adeoque obtulistis corpora vestra hostiam vivam, Sponso vestro Deo viventi, Regi saeculorum immortali, et sic castas ac perpetuas cum Sponso nuptias celebratis:

Orate pro me, ut ego per vinum germinans virgines, castitatis zelum imbibam, ac continuo puri cordis amore indissolubile teneam cum Sponso vestro connubium, eumque in hoc Sacramento vere praesentem medullitus ac totis visceribus amplectar et exosculer.

S. Maria Magdalena, quae una cum sorore Christum hospitio excepisti, sed vacans a ministerio et sedens ad pedes Domini, audiebas verbum illius. Alias quoque in convivio Pharisaei pedes Domini lacrymis tuis ubertim manantibus lavisti et capillis tersisti; sic et amorem in Dominum et dolorem criminum palam ostendens. Denique pendenti in cruce adhaesisti et sepultum vi amoris aestuans quaesivisti:

Ora pro me, ut et ego a curis saeculi abstraham cor meum, et quaeram prae omnibus in otio sancto vacare Deo: accessurus vero ad Dominum meum in hoc Sacramento, prius contriti cordis lacrymas offeram Deo meo, et Crucifixo libenter adhaeream, non quaerens gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi.

Omnes Sancti et Electi Dei, qui jam revelata facie in patria visione beata aspicitis, et pleno jam ore manducatis panem illum, quem nos non nisi per speculum in aenigmate conspicimus et aliena specie velatum accipimus. Vos enim felices portum tenetis, ad quem nos miseri tendimus; o quot inter tempestates et pericula viatico egemus, ut superemus. Viaticum Chri-

stus est; Via utique, Veritas et Vita: et unicum solatium peregrinationis nostrae:

Orate pro nobis, ut eo nos saltem sustentemur in via: donec vobiscum et nos satiemur ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis ejus potemur in patria.

Oratio.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oratio ad impetrandum amorem Dei.

O bone Jesu, o salus animae meae, quando tibi in omnibus et per omnia placebo? quando amore tui et mihi et omnibus creaturis moriar? Miserere mei Domine, et adjuva me. Offero me divinae tuae Majestati, et saluto, quam possum officiosissime, rosea tua vulnera. Absconde me Domine in illis, ut sim perfecte mundatus et amore tui inebriatus. O Domine Deus meus, o admirabile principium meum, o clarissima lux intellectus mei, o quies voluntatis meae; quando te diligam ardentissime? O Domine, dignare cor meum dulcissimi amoris tui jaculo transfigere. O omne desiderium meum, omnis spes mea, omne refrigerium meum: o si anima mea digna esset tota, ut amore tui sancto inflammaretur, ut sic

omnis tepor ejus divino illo igni absumeretur. O Salvator mi, te desidero, tibi me totum offero, unum uni, totum toti, unicum unico. Nihil praeter te volo, nihil praeter te desidero, nihil praeter te opto: tu namque solus mihi sufficis, tu meus es Rex, tu meus es Dominus, tu meus es Gubernator, Pater meus et omnia. Tu totus es amabilis, totus delectabilis, totus fidelis. Quis tam liberalis est, quam ille, qui pro vili creatura dedit semetipsum? Quis tam humilis, qui magnitudinem suae Majestatis eum in modum extenuaret, imo abjiceret? O Domine, qui nullum despicis, nullum aspernaris, nullum, qui te quaerit repellis; quin potius praevenis illum, comitaris illum, subsequeris illum, et viam illi monstras: deliciae namque tuae sunt, esse cum filiis hominum. Tibi Domine benedicunt Angeli, et quid invenisti in nobis praeter miserias et peccata, ut volueris nobiscum permanere usque ad consummationem saeculi? An non satis erat, te pro nobis passum esse, et nobis Sacramenta reliquisse et Angelos tuos custodes dedisse: quod etiam ipse, qui Dominus Majestatis es, nobiscum et in societate nostra permanere voluisti? Ineamus itaque pactum, (si tibi placet) fiatque inter nos commutatio; tu sollicitus esto, ut me adjuves, et ego sollicitus ero, ut tibi serviam: fac mecum, quod vis et scis, quod mihi expediat: tuus enim esse volo, et non alterius. Da mihi, Domine, ut nihil praeter te desiderem, et ut totum me tibi offeram, nec unquam te deseram. O ignis, qui me inflammas; o charitas, quae me exuris; o lux, quae me illuminas; o requies mea; o amor, qui semper ardes et nunquam extingueris; quando te Domine perfecte diligam? quando te nudis animae meae brachiis amplexabor? quando despi-

ciam me et omnia, quae in mundo sunt, ut liberius amem te? Quando anima mea cum omnibus suis potentiis et viribus tibi unietur? quando erit in amoris tui abysso mersa et plane absorpta? Dulcissime, amantissime, pulcherrime, sapientissime, ditissime, nobilissime, pretiosissime et dignissime, qui ameris et adoreris. O Vita animae meae, quae, ut mihi vitam dares, ipsa mortua es et moriens mortem interemisti; mortifica me totum, Domine, hoc est, omnes pravas inclinationes meas, propriam voluntatem, et quicquid impedire potest, quo minus tibi vivam, et tu vivas in me. Postquam me sic mortificaveris, fac me vivere in te, hoc est, in amore et obedientia tui, observando fideliter tua superiorumque meorum praecepta, tuaeque voluntati semper satisfaciendo. O bone Jesu, concede mihi Domine, ut detester omnia peccata, ab omni impietate abhorream et toto corde me ad te convertam: in te enim solo sunt omnes meae cogitationes meaque desideria: in te est mea memoria, meus intellectus, mea voluntas et omnes vires meae. Amen. Ludovicus Granat.

Exercitium Confessionis.

Oratio ante Confessionem.

Ad te, piissime Jesu, refugium meum et consolatio mea, ad te moerens et tristis venio, recogitans tibi annos meos et delicta mea in amaritudine animae meae. Ad te verba doloris effundo, misericordiam tuam implorans, ut facias opus tuum, quod est misereri et parcere, tollens

peccata mea, quae sunt maxima miseria mea. Ne despicias voces et singultus ovis perditae et filii prodigi ad tuam pietatem redeuntis de regione longinqua, non enim laetaris in perditione morientium, qui, ut ego non morerer, mortem subire dignatus es. Vermis terrae retribui tibi mala pro bonis: et heu quot mala et quam gravia peccata pro tantis et tam eximiis bonis. Et tamen loqueris ad sponsam tuam, praevaricatricem animam meam, postquam fornicata est cum amatoribus multis, ut revertatur ad te, et suscipies eam, quia misericordia tua super omnia opera tua; et major est bonitas tua, quam iniquitas mea. Surgo igitur et venio ad te corde contrito et humiliato: venio ut laver, o fons aeternae vitae, ad quem sitio sicut cervus ad fontes aquarum: venio ut illuminer, o lux mea, et amem te, et confitear adversum me injustitiam meam. Emitte lucem tuam et veritatem tuam et illumina mentem meam, ut omnia mala mea, quae commisi, et bona, quae omisi, distincte cognoscam et integre confitear; nec me permittas computrescere in sordibus meis, tu, qui omnium misereris: et nihil odisti eorum, quae fecisti. Fac me assueta mala relinquere, et tibi placitis operibus occupari, ut ubi abundavit delictum, tua gratia superabundet: et sicut fuit sensus meus, ut errarem a te, decies tantum iterum conversus requiram te. Doleo benignissime Jesu, de omnibus et singulis peccatis meis, eaque detestor super omnia mala, non solum arido et imperfecto corde meo, sed corde etiam et affectu omnium vere poenitentium, ex gratuito tui amore, quia Deus es infinito amore dignissimus; firmiterque propono quaelibet potius subire mala, quam iterum peccato consentire. Exactissime

item confiteri volo, tibique et proximo integre satisfacere, atque omnes peccandi occasiones deinceps evitare. Quicquid vero mihi deest, suppleat Mors tua, sanguis tuus, et superabundantia merita tua, quibus fretus veniam obtinere spero et gratiam, mores meos corrigendi et in bono usque ad finem perseverandi. Et nunc, Domine, qui dedisti mihi cognoscere flagitia mea, perfice contritionem meam, et perduc ad finem satisfactionem meam. Ure me igne amoris tui et separa a me, quicquid displicet Majestati tuae. Purifica omne, quod tibi placet in me, ut in te vivam, non in me, et in te moriar, ac propter te, Salvator meus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen. Card. Bona.

Oratio post Confessionem.

Gratias ago tibi Domine, Pater et dux vitae meae, quia non secundum peccata mea fecisti mihi, sed superexaltasti misericordiam judicio, et projecisti in profundum maris omnia delicta mea. Atque utinam possem tantam in me contritionem excitare, quantam habuerunt pro peccatis suis sanctus Propheta David, vir secundum cor tuum, S. Petrus, Princeps Apostolorum, ac reliqui poenitentes: quam libenter totus in lachrymas diffluerem, donec lavarentur iniquitates meae, et ostenderes mihi placatum vultum tuum. Sed facta est anima mea sicut terra sine aqua tibi, et aruit sicut testa virtus mea: cumque omni virtute destitutus sim, hoc solum habeo residui, ut oculos meos extollam ad Redemptorem meum, ejusque lachrymas offeram tibi, quas ille pro me uberrime effudit, ut iis placatus aperias

mihi januas misericordiae tuae, et suscipias me servum fugitivum venientem ad te et ab inimicis fugientem. Respice in me et miserere mei, Domine patiens et misericors; loquere ad petram cordis mei et percute virga virtutis tuae, ut fluant aquae compunctionis, aquae salutares, quibus sanabitur et dealbabitur anima mea. Confirma hoc, quod operatus es in me, tibique grata et accepta sit Confessio mea, atque omnem ejus defectum suppleat pietas et misericordia tua. Misericordiam tuam imploro et veniam postulo cum inviolabili proposito, deinceps non peccandi et studio virtutum sedulo incumbendi, te mihi vires subministrante, qui non deseris sperantes in te. Ne patiaris diutius me vagari post vanitatem vitae hujus, transeunt enim dies et dies, anni et anni, et ecce nihil proficio. Convertere ergo et deprecabilis esto super me indignissimum servum tuum, et noli sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum; nam si ego commisi, unde me damnare potes, tu non amisisti, unde me salves et recipias in gratiam tuam, Deus meus, adjutor meus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen. Card. Bona.

Preces ad lucrandas plenarias indulgentias.

Oratio praeparatoria.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus misericordia a peccatis omnibus aeternaeque damnationis reatu me absolutum confido, quamvis temporalibus poenis obnoxius permaneam: cum vero

his diluendis opera mea non sufficiant, ad inexhaustum meritorum unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi Sanctorumque thesaurum confugio, ut hujus abundantia tenuitati et indigentiae meae subveniatur. Promptum me ad omnia, quae hunc in finem praestanda sunt, offero. Suscipe ea, o Pater misericordiarum, in unione Passionis et Mortis ejusdem Filii tui, plenariaeque hujus indulgentiae me licet indignum fac participem. Amen.

Pater noster, etc. Ave Maria, etc.

1. Oratio ad Deum Patrem,

pro exaltatione s. Matris Ecclesiae.

Memento, o Pater aeterne, congregationis tuae, quam possedisti ab initio. Agnosce Ecclesiam velut Sponsam unigeniti Filii tui, pro qua ipse sanguinem suum profundere non dubitavit; hanc, obsecro, sanctitatis decore, gratiarum opibus, haereditatis amplitudine ita exalta, ut digna compareat tali Sponso, tantoque redemptionis pretio. Respice benigne ejusdem s. Matris filios, eorumque numero universas gentes associa, ut omnes te Deum Patrem, et quem misisti Jesum Christum, una cum s. Spiritu fide viva agnoscant, spe firma invocent, et charitate perfecta complectantur. Amen.

Pater noster. Ave.

V. Vide, Domine, et visita vineam istam.

R. Et perfice eam, quam plantavit dextera tua.

Oremus.

Respice, quaesumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus

Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum. Qui tecum vivit etc.

2. Oratio ad Deum Filium,

pro extirpatione haereseon.

O Jesu, lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Fac, oro, per inaestimabilem Passionis et Mortis tuae virtutem, ut pulsis haereseon et errorum tenebris, veritatis tuae lumen omnes amplectantur, et in optatum Ecclesiae tuae gremium confluant. O Pastor bone, qui animam tuam pro ovibus tuis posuisti, gregem tuum protege et contra vim insidiasque eorum defende, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Fac, ut unum omnes pastorem admittant et unum omnium sit ovile. Mane nobiscum Domine, quoniam dixisti: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi. Ostende Ecclesiam tuam aedificatam esse super petram, et portas inferi non praevalere adversus eam. Amen.

Pater noster. Ave.

V. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.

R. Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Oremus.

Ecclesiae tuae, quaesumus Domine, preces placatus admitte, ut destructis adversitatibus et erroribus universis, secura tibi serviat libertate. Per Dominum, etc.

3. Oratio ad Spiritum sanctum,

pro concordia christianorum Principum.

O s. Spiritus, Spiritus amoris et pacis, qui tot tamque diversas gentes in unitate fidei congregasti: largire christianis Principibus eorumque consiliariis abundantiam tuae gratiae, novoque charitatis tuae mandato, quod abiens ex hoc mundo discipulis tuis dedisti, eorum corda imbue, ut ex hoc omnes agnoscant, eos in numero filiorum tuorum censendos et christiano nomine dignos esse. Fac, ne ulla unquam cupiditate abducti quicquam moliantur, quod divinae tuae gloriae concordiaeque Ecclesiae adversetur. Sed unitis potius viribus ad pacis aeternae visionem, ad coelestem Hierusalem populum sibi subjectum una secum perducere nitantur. Amen.

Pater noster, etc. Ave, etc.

V. Fiat pax in virtute tua.

R. Et abundantia in turribus tuis.

Oremus.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia et justa sunt opera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem: ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine tempora sint tua protectione tranquilla. Per Dominum, etc.

4. Oratio ad s. s. Trinitatem,

qua peractorum operum ad indulgentias lucrandas praescriptorum fit oblatio.

Praestitisse nunc videor, o s. s. Trinitas, quaecunque ad plenariam debitarum poenarum

indulgentiam impetrandam praescripta fuerunt. Haec et multo plura absque eo divinae Majestati tuae, utpote innumeris eidem nominibus obstrictos praestare nos oportuisset. Infinitae bonitati tuae profusaeque in nos licet indignissimos liberalitati tribuendum est, quod tam cumulate vilissima debitae servitutis nostrae opera remunereris. Suscipe ergo, o s. s. Trinitas, a me quomodocunque praestita opera, et fac, ut horum defectus Passione et Morte Domini nostri Jesu Christi ejusdemque pro nobis pretiosissimo effuso sanguine suppleantur: atque ita me (vel animam purgandam N.) plenariae hujus indulgentiae fac participem. Pro quo beneficio tibi coelum et terra mecum laudes et gratiarum actiones cantent, nunc et in perpetuum. Amen.

Pater noster, etc. Ave, etc.

Exercitium practicum Virtutum Theologicarum,

ex S. Augustino.

FIDES.

Credo de toto corde, Rex coeli et terrae, Domine, et ore te confiteor Patrem et Filium et Spiritum sanctum, in personis Trinum et in substantia Unum verum Deum; in magnitudine infinitum, in virtute omnipotentem, in bonitate summum, in sapientia inaestimabilem, in consiliis terribilem, in judiciis justum, in verbis veracem, in operibus sanctum, in misericordiis copiosum: erga delinquentes patientissimum, erga poenitentes piissimum; semper eundem ipsum aeternum ac

sempiternum, immortalem atque incommutabilem.

Credo, a te missam Deitatem meam suscepisse humanitatem, in qua dignum duxit vincula, sputa, irrisiones perferre, nec non crucem, clavos telumque suscipere.

Cognovi enim, te verum Deum et Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, Creatorem, Salvatorem, et Redemptorem meum et totius humani generis; quem confiteor ex Patre genitum ante saecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, non factum, sed genitum, consubstantialem et coaeternum Patri et Spiritui sancto; per quem omnia facta sunt a principio; firmiter credens et veraciter confitens te Deum unigenitum, Jesum Christum, propter hominum salutem a tota Trinitate communiter incarnatum et ex Maria perpetua virgine Spiritus sancti cooperatione conceptum, verum hominem factum, ex anima rationali et humana carne subsistentem: qui cum secundum Divinitatem Unigenitus Dei impassibilis sis pariter et immortalis, propter nimiam dilectionem tuam, qua dilexisti nos, idem ipse Dei Filius secundum humanitatem factus es passibilis et mortalis.

Qui propter salutem humani generis, unice Fili Dei, in ligno crucis pati dignatus es Passionem et Mortem, ut nos a morte perpetua liberares, utque ad inferos, ubi sedebant in tenebris patres nostri, autor luminis descendisti, et die tertia gloriosus victor ab inferis ad superos resurrexisti, resumens sacrum corpus, quod pro peccatis nostris mortuum jacuerat in sepulchro et vivificans secundum scripturas die tertia, ut ipsum in Patris dextera collocares.

Assumpta namque tecum ex inferis captivi-

tate, quam captivaverat antiquus hostis, humani generis inimicus, verus Dei Filius cum nostra carnis substantia, id est, cum anima et carne humana ex Virgine gloriosa assumpta, super omnes coelos ascendisti, transcendens omnes ordines Angelorum, ubi sedes ad dexteram Patris, ubi est fons vitae et lumen inaccessibile, et pax Dei, quae exuperat omnem sensum.

Ibi te Deum verum et hominem Jesum Christum adoramus et credimus, confitentes te Patrem habere Deum, indeque venturum judicem in fine saeculi expectamus, ut judices vivos et mortuos et reddas omnibus, bonis et malis, secundum operati sunt in hac vita, vel praemium vel supplicium, prout unusquisque dignus fuerit requie vel aerumna. Resurgent enim in illa die, in voce virtutis tuae, omnes homines, quotquot humanam acceperunt animam, in carne sua, quam hic habuerunt; ut totus homo pro meritis gloriam suscipiat, vel gehennam.

Cognovi te Deum et unum Spiritum Patris et Filii, ab utroque pariter procedentem consubstantialem et coaeternum Patri et Filio, Paracletum nostrum, qui super eundem Deum et Dominum nostrum Jesum Christum in columbae specie descendisti, et super Apostolos in linguis igneis apparuisti.

Haec indubia fide teneo, quae et alia multa docuit me sancta Mater Ecclesia, cujus factus sum membrum per gratiam tuam.

SPES.

Misericordissime Deus, in te confido, spero, et totam spem meam pono, per quem resurgam,

vivam et requiescam. Ego creatura tua, sub umbra alarum tuarum sperabo, in bonitate tua, qua creasti me. Adjuva creaturam tuam, quam creavit benignitas tua; non pereat in malitia mea, quod operata est bonitas tua; non pereat in miseria mea, quod fecit summa clementia tua. Multum, Domine, de tua bonitate praesumo, quoniam tu ipse doces petere, quaerere et pulsare. Et ideo tua monitus oratione peto, quaero, pulso. Et tu Domine, qui petere jubes, fac accipere; consulis quaerere, da et invenire; pulsare doces, aperi pulsanti, et confirma me infirmum, restaura me perditum, suscita me mortuum.

Desperare utique potuissem propter nimia peccata mea et infinitas negligentias meas, nisi Verbum tuum Deus caro fieret et habitaret in nobis. Sed desperare jam non audeo, quia, cum inimici essemus, reconciliati sumus per Mortem Filii tui. Quanto magis reconciliati salvi facti sumus per eum? Omnis namque spes et totius fiduciae certitudo mihi est in pretioso sanguine ejus, qui effusus est propter nos et propter salutem nostram. In ipso respiro et in ipso confisus ad te pervenire desidero, non meam habens justitiam, sed eam, quae est in Filio tuo Domino nostro Jesu Christo.

Qui de venia peccatorum suorum desperat, negat Deum esse misericordem; magnam injuriam Deo facit, qui de ejus misericordia diffidit. Quantum in se est, negat Deum habere caritatem, veritatem et potestatem, in quibus tota spes mea consistit: scilicet in caritate adoptionis, in veritate promissionis et in potestate redemptionis.

Murmuret jam, quantum voluerit, insipiens cogitatio mea, dicens: Quis enim es tu, et quanta

est gloria illa, quibusve meritis illam obtinere speras? Et ego fiducialiter respondebo: Scio, cui credidi; quia in caritate nimia adoptavit me in filium; quia verax est in promissione, potens in exhibitione et licet ei facere, quod vult. Non possum terreri multitudine peccatorum, si Mors Domini in mentem meam venerit, quoniam peccata mea illum vincere non possunt. Clavi et lancea clamant mihi, quod vere reconciliatus sum Christo, si eum amavero. Inter brachia Salvatoris mei et vivere volo et mori cupio. Ibi securus decantabo: Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me!

CHARITAS.

Amo te, Deus meus, amore magno, magisque te amare cupio. Da mihi, ut amem te semper, quantum volo et quantum debeo, ut tu solus sis tota intentio mea et omnis meditatio mea. Scio et fateor, Domine, quia non sum dignus, quem tu diligas: sed certe tu non es indignus, quem ego diligam. Indignus quidem sum tibi servire, sed tu non es indignus servitio creaturae tuae. Da ergo mihi Domine, unde tu es dignus, et ego ero dignus, unde sum indignus.

Scis, occultorum cognitor Deus, quoniam coelo, terra et omnibus, quae in ea sunt, tu mihi acceptior, amabilior es: diligo enim te super coelum et terram et caetera omnia, quae in eis sunt. Nihil, quaeso, sine te mihi dulcescat, nihil complaceat, nil pretiosum, nil praeter te mihi arrideat speciosum. Vilescant, obsecro, absque te mihi omnia, sordeant universa; quod tibi adversum est, sit mihi

molestum: et beneplacitum tuum mihi indeficiens desiderium. Immensus es, Domine, et ideo sine mensura debes amari et laudari ab iis, quos pretioso sanguine tuo redemisti.

Dulcis Christe, bone Jesu, charitas, Deus meus; accende me totum igne tuo, amore tui, suavitate et dulcedine tua, ut totus dulcedine amoris tui plenus, totus flamma charitatis tuae accensus, diligam te Deum meum ex toto corde meo, totisque medullis praecordiorum meorum, habens te in corde, in ore et prae oculis meis semper et ubique. Succende mentem meam igne illo tuo, quem misisti in terram, et voluisti vehementer accendi, ut sacrificium spiritus contribulati et cordis contriti quotidie tibi offeram. Ego enim, Domine, ingratus multa commisi illicita, multa perpetravi nefanda; et ubi peccata emendare debui, peccata peccatis addidi. Deus meus, susceptor meus, ego infelix te irritavi, malum coram te feci, furorem provocavi, iram promerui! Heu me! de quanto bono in quantum cecidi malum! Miserere, ne desperem, sed sperando respirem, et si ego commisi, unde me damnare potes, tu non amisisti, unde salvare soles. Peccavi, et passus es; deliqui, et adhuc sustines. Si poeniteo, parcis, si revertor, suscipis; insuper dum differo, praestolaris. Revocas errantem, invitas repugnantem, expectas torpentem, amplexaris redeuntem. Idcirco obsecro et suppliciter rogo, ut non facias mihi secundum peccata mea, quibus iram tuam merui, sed secundum magnam misericordiam tuam, quae superat etiam peccata totius mundi. Multum namque est, quod mea mereretur impietas, longe autem majus, quod Redemptoris mei reposcit jure pietas. Magna est, fateor, injustitia mea; verum major Redemptoris justitia.

Quid enim deliquit homo, quod non redemerit Filius Dei factus homo?

Ecce sub misericordiae tuae umbra protectus ad thronum gloriae, veniam postulans, curro, clamans et pulsans, donec misearearis mei. Si enim ad veniam nos vocasti, veniam non quaerentes, quanto magis veniam impetrabimus postulantes?

Placare obsecro, et miserere mei, et non avertas faciem tuam a me, qui pro me redimendo non avertisti faciem tuam ab increpantibus et conspuentibus in te. Pie et misericordissime Domine, ne efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea, sed propter bonitatem tuam suscipe preces servi tui, et da mihi effectum petitionis meae et desiderii mei, intercedente et orante et impetrante gloriosa Virgine Genitrice tua Maria, Domina mea, cum omnibus Sanctis tuis. Amen.

Preces Stationum.

Oratio praeparatoria.

Suscipe s. Trinitas hoc servitutis meae obsequium, quod ad divinae Majestatis tuae gloriam et recognitionem redemptionis nostrae, pro satisfactione peccatorum meorum, ad impetrandam defunctis requiem vivisque gratiam, omnibus gloriam offero, in unione meritorum Domini nostri Jesu Christi, B. Virginis et omnium Sanctorum. Tibi laus, honor et gloria, o beata Trinitas, in sempiterna saecula. Amen.

V. Deus in adjutorium meum intende.

R. Domine ad adjuvandum, etc.

Gloria Patri, etc.

I. STATIO.

Ubi Christus morti adjudicatur.

Iniquum hoc judicium lubens ille subiit, ut te ab aeternae damnationis sententia absolveret.

Ant. Dixerunt impii apud se, non recte cogitantes: circumveniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris; promittit se scientiam Dei habere, Filium Dei se nominat; videamus si sermones illius veri sunt; et si est vere Filius Dei, liberet eum de manibus nostris: morte turpissima condemnemus eum.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater etc. Ave.

V. Proprio Filio suo non pepercit Deus.
R. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.
V. Oblatus est quia ipse voluit.
R. Et non aperuit os suum.
V. Domine exaudi orat. etc.

Oremus. Domine Jesu Christe, qui de coelis ad terram de sinu Patris descendisti, et sanguinem tuum pretiosum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti: te humiliter deprecamur, ut in die judicii ad dexteram tuam audire mereamur: Venite Benedicti. Qui vivis et regnas etc.

V: Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis.
R. Miserere nobis.
V. Benedicamus Domino.
R. Deo gratias.
V. Fidel. etc.

II. STATIO.

Ubi Christo crux imponitur.

Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores. Ps. 128.

Ant. Ave Rex noster, tu solus nostros es miseratus errores; Patri obediens ductus es ad crucifigendum, ut agnus mansuetus ad occisionem. Tibi gloria et Hosanna: tibi triumphus et victoria: tibi summae laudis et honoris corona. Kyr. Chr. Kyr. Pat. Ave.

V. Disciplina pacis nostrae super eum.

R. Et livore ejus sanati sumus.

V. Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum.

R. Propter scelus populi sui percussit eum.

V. Domine exaudi, etc.

Oremus. Domine Jesu. p. 130.

III. STATIO.

Ubi primum Christus sub cruce cecidit.

Quantum pondus est peccatorum nostrorum, cui ille succubuit, qui omnia portat verbo virtutis suae.

Ant. Humiliavit semetipsum Dominus noster Jesus Christus usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.

Kyrie el. Christe el. Kyrie el. Pater. Ave.

V. Vere languores nostros ipse tulit.

R. Et dolores nostros ipse portavit.

V. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

R. Attritus est propter scelera nostra.

V. Domine exaudi, etc.

Oremus. Domine. p. 130.

IV. STATIO.

Ubi B. Virgo cum S. Joanne obviat Christo.

Quam acerbo doloris gladio cor Matris et amantissimi discipuli vulneratum fuerit ad hunc Jesu conspectum! Quem in te compassionis dolorem sentis?

Ant. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus! Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas, quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam. Defecerunt prae lacrymis oculi mei, conturbata sunt omnia viscera mea, effusum est in terra jecur meum, super contritione Filii mei, quoniam praevaluit inimicus.

Kyrie el. Christe el. Kyrie el. Pater. Ave.

V. Magna est velut mare contritio tua.

R. Quis medebitur tui?

V. Tuam ipsius animam doloris gladius pertransivit.

R. Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

V. Domine exaudi, etc.

Oremus. Domine Jesu. p. 130.

V. STATIO.

Ubi Simoni Cyrenaeo crux imponitur.

Coactus hic crucem post Jesum portavit; quanto merito portasset sponte! Quae tua est promptitudo ad ferendam crucem Christi?

Ant. Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus.

Kyrie el. Christe el. Kyrie el. Pater. Ave.

V. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.

R. Per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

V. Crux fidelis inter omnes arbor una nobilis.

R. Nulla silva talem profert fronde, flore, germine.

V. Domine exaudi, etc.

Oremus. Domine Jesu. p. 130.

VI. STATIO.

Ubi Veronica Christo obviat.

Quam illa praeclarum speculum a Christo obtinuit! In hoc te semper contemplare.

Ant. Ecce vidimus eum non habentem speciem neque decorem, despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus ejus, unde nec reputavimus eum. Inglorius est inter viros adspectus ejus et forma ejus inter filios hominum.

Ipse autem est speciosus forma prae filiis hominum, cujus livore sanati sumus.

Kyrie el. Christe el. Kyrie el. Pater. Ave.
V. Domine Deus virtutum converte nos.
R. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.
V. Ne avertas faciem tuam a nobis.
R. Et ne declines in ira a servis tuis.
V. Domine exaudi, etc.
Oremus. Domine Jesu. p. 130.

VII. STATIO.

Ubi Christus sub judiciaria porta cecidit.

Quomodo tu in judicio extremo subsistes?

Ant. Tradiderunt me in manus impiorum, et inter iniquos projecerunt me, et non pepercerunt animae meae. Congregati sunt adversum me fortes, et sicut gigantes steterunt contra me terribilibus oculis intuentes; et plaga crudeli percutientes subsannaverunt me.

Kyrie el. Christe el. Kyrie el. Pater. Ave.
V. Ego autem sum vermis et non homo.
R. Opprobrium hominum et abjectio plebis.
V. Omnes videntes me deriserunt me.
R. Locuti sunt labiis et moverunt caput.
V. Domine exaudi, etc.
Oremus. Domine Jesu. p. 130.

VIII. STATIO.

Ubi mulieres Christum deplorant.

Ubi sunt lachrymae tuae, quibus sola peccata tua, nullam vero aliam rei temporalis jacturam defleas?

Ant. Filiae Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete et super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: beatae steriles, et ventres, quae non genuerunt, et ubera, quae non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus: cadite super nos; et collibus: operite nos. Quia si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet?

Kyrie el. Christe el. Kyrie el. Pater. Ave.

V. Spiritus oris nostri Christus Dominus.

R. Captus est in peccatis nostris.

V. Cecidit corona capitis nostri.

R. Vae nobis, quia peccavimus.

V. Domine exaudi, etc.

Oremus. Domine Jesu. p. 130.

IX. STATIO.

Ubi ultimo cecidit ad montem Calvariae.

Quoties peccatis nostris Christus opprimitur!

Ant. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Ego eduxi te de terra Aegypti: et tu me eduxisti ad patibulum crucis. Ego te pavi manna per desertum quadraginta annis: et tu me cecidisti alapis et flagellis. Ego dedi tibi sceptrum regale: et tu dedisti capiti meo spineam coronam. Quid ultra debui tibi facere, et non feci?

Kyrie el. Christe el. Kyrie el. Pater. Ave.

V. Sicut ovis ad occisionem ductus est.

R. Et quasi agnus coram tondente se obmutuit.

V. Tradidit in mortem animam suam.

R. Ut vivificaret populum suum.
V. Domine exaudi, etc.
Oremus. Domine Jesu. p. 130.

X. STATIO.

Ubi felle et aceto potatur.

Quam tu immitis es in pauperes? Idem Christo facis.

Ant. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Ego eduxi te de domo servitutis in terram promissionis: et tu me descendentem e sinu Patris eduxisti ad mortem crucis. Ego te plantavi vineam meam speciosissimam: et tu facta es mihi nimis amara. Ego te potavi aqua salutis de terra: et tu me potasti felle et aceto. Quid ultra debui tibi facere, et non feci?

Kyrie el. Christe el. Kyrie el. Pater. Ave.

V. Aruit tanquam testa virtus mea.
R. Et lingua mea adhaesit faucibus meis.
V. Dederunt in escam meam fel.
R. Et in siti mea potaverunt me aceto.
V. Domine exaudi, etc.

Oremus. Domine Jesu. p. 130.

XI. STATIO.

Ubi cruci horrendis clavis affigitur.

Quam fortia amoris sunt vincula, quibus Jesus se tibi obstrinxit! Quibus tu vicissim te illi obstringis?

Ant. Popule meus, quid feci tibi! Ego te exaltavi magna virtute: et tu me suspendisti in patibulo crucis. Ego te excelsiorem feci cunctis gentibus: tu me saturasti opprobriis et maledictis. Ego ante te aperui mare rubrum: et tu aperuisti lancea latus meum. Quid ultra debui tibi facere, et non feci?

V. Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum?

R. His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.

V. Foderunt manus meas et pedes meos.

R. Et dinumeraverunt omnia ossa mea.

V. Domine exaudi, etc.

Oremus. Domine Jesu. p. 130.

XII. STATIO.

Ubi in cruce moritur.

Considera, quid moriens dixerit et fecerit Jesus! Utinam et tu similiter moriaris.

Ant. Ecce quomodo moritur justus, et nemo percipit corde: viri justi tolluntur, et nemo considerat: a facie iniquitatis sublatus est justus, et erit in pace memoria ejus.

Kyrie el. Christe el. Kyrie el. Pater. Ave.

V. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem.

R. Mortem autem crucis.

V. Adoramus te Christe, et benedicimus tibi.

R. Quia per s. crucem tuam redemisti mundum.

V. Domine exaudi, etc.

Oremus. Domine Jesu. p. 130.

Commendatio.

Respice, quaesumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum. Qui tecum vivit et regnat, etc.

Orationes diversae.

Oratio Confessarii ante excipiendam confessionem.

Domine Deus propitius esto mihi peccatori, et qui me indignum propter tuam misericordiam ministrum fecisti Officii sacerdotalis, quique omnes homines vis salvos fieri, non mortem volens peccatorum, sed ut convertantur et vivant: suscipe orationem meam, quam fundo ante conspectum clementiae tuae, pro peccatis meis, et pro famulis et famulabus tuis ad poenitentiam venientibus; ut des illis spiritum compunctionis ut resipiscant a laqueis diaboli, et ad te toto corde per veram contritionem, sinceram Confessionem et dignos poenitentiae fructus revertantur: mihi vero confer custodiam oculorum, attentionem sine evagatione, discretionem, prudentiam et fortitudinem Deo dignam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Post Confessionem exceptam.

Benignissime Deus, respice propitius poenitentiam famulorum tuorum et secundum magnam

misericordiam tuam dele iniquitatem eorum. Amplius lava eos a peccatis, neve sinas, ut iterum delictis suis te, summum bonum, offendant. Respice etiam in me miserum famulum tuum, et quae ex imbecillitate aut ignorantia deliqui, misericorditer remitte, ne dum alios salvo, ipse confundar. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

Ante Visitationem aegrorum.

Dominus et Salvator noster, qui consolans et benefaciens mundum transiisti, et qui voluisti, ut cum laetantibus gaudeamus et cum afflictis contristemur, ecce ego famulum tuum aegrotantem et doloribus afflictum, praecepto tuo obediens, visitatum et consolatum aggredior. Ne respicias, misericors Deus, peccata mea, sed munus, quod subeo, et gratia tua largissima exornes me, ut aegrotus verbis meis erectus in fide, spe et charitate firmetur, vel, si aberraverit per vitam suam, ad te reducatur tibique serviat; ut illi morbus ad salutem proveniat. Tu autem, Consolatrix afflictorum et Salus infirmorum, una cum sponso tuo, sancto Josepho, intercede pro me et misero famulo tuo; o clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria!

Post Visitationem aegrorum.

Domine misericordiarum et omnium bonorum largitor, dignare propitius, ut famulus tuus, quem ego nunc reliqui, a te non relictus, sed interna tua consolatione, quae omnem humanam conso-

lationem excedit, refectus sit. Remitte, quod ex tepiditate vel imbecillitate deliqui, et auge, quod bonum erat. Ne sinas, ut aegrotus in peccatis moriatur, sed da, ut convertatur et vivat. Da, ut in omnibus cum gaudio voluntatem tuam excipiat, sive vita, sive mors ei destinata sit. Tu autem, Domina, ne eum destituas cum auxilio tuo, dum eum videas inter beatos. Benedicta sint dulcia nomina: Jesus, Maria, Joseph!

Oratio ad S. S. Trinitatem.

Deus, vera et summa vita, a quo, per quem et in quo vivunt omnia, quaecunque vere et beate vivunt. Deus, bonum et pulchrum, a quo, per quem et in quo bona et pulchra sunt omnia, quaecunque bona et pulchra sunt. Deus, cujus nos fides excitat, spes erigit, charitas jungit. Deus, qui peti te jubes, et inveniri te facis, et pulsanti aperis. Deus, a quo averti cadere est, ad quem converti surgere est, in quo manere consistere est. Deus, quem nemo amittit nisi deceptus, nemo quaerit nisi admonitus, nemo invenit nisi purgatus. Deus, quem nosse vivere est, cui servire regnare est, quem laudare salus et gaudium animae est. Te labiis et corde, omnique, qua valeo virtute, laudo, benedico atque adoro, tuaeque clementiae et bonitati pro universis beneficiis tuis gratias refero, et hymnum gloriae tuae cano: Sanctus, sanctus, sanctus. Te invoco, o beata Trinitas, ut venias in me et templum me facias dignum gloriae tuae. Rogo Patrem per Filium, rogo Filium per Patrem, rogo Spiritum sanctum per Patrem et Filium, ut omnia vitia elongentur a me, et omnes sanctae virtutes plan-

tentur in me, Deus immense, a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia facta sunt, visibilia et invisibilia. Qui opera tua extra circumdas et intra reples, supra regis et infra fers; custodi me, opus manuum tuarum in te sperantem, et in tua solummodo misericordia confidentem. Custodi me, quaeso, hic et ubique, nunc et semper, intus et foris, ante et retro, supra et infra, circumcirca; ita, ut nullus in me pateat locus insidiis inimicorum. Tu es Deus omnipotens, custos et protector omnium in te sperantium, sine quo nemo est tutus, nemo de periculis liberatus. Tu es Deus, et non est alius Deus praeter te, neque in coelo sursum, neque in terra deorsum, qui facis magnalia et mirabilia et inscrutabilia, quorum non est numerus. Te decet laus, te decet honor, te decet hymnus, tibi omnes Angeli, tibi coeli et universae potestates hymnos dicunt, et laudantes indesinenter concinunt; utpote Creatori creaturae, Domino servi, Regi milites. Te sanctam et individuam Trinitatem omnis creatura magnificat, omnis spiritus laudat. S. Augustinus.

Oratio ad Deum Patrem.

Ego creatura tua, sub umbra alarum tuarum sperabo in bonitate tua, qua creasti me. Adjuva creaturam tuam, quam creavit benignitas tua. Non pereat in malitia mea, quod operata est bonitas tua. Non pereat in miseria mea, quod fecit summa clementia tua. Quae est enim utilitas in creatione tua, si descendam in corruptionem meam? Numquid enim vane, Deus, constituisti omnes filios hominum? Creasti me Domine, rege,

quod creasti. Opus manuum tuarum ne despicias, Deus. Me fecisti de nihilo; si me non regis Domine, iterum revertar ad nihilum. Sicut enim, Domine, non eram et de nihilo fecisti me, sic, si me non regis, adhuc ad nihilum redigar in me. Adjuva me Domine, vita mea, ne peream in malitia mea. Si non creasses me Domine, non essem: quia creasti me, jam sum; si non regis, jam non sum. Non enim mea merita, non mea gratia te coegerunt, ut creares me, sed benignissima bonitas tua et clementia tua. Illa charitas tua, Domine Deus meus, quae ad creationem te coegit, ipsa, quaeso, modo cogat te ad regendum. Quid enim prodest, quod te compulit charitas tua ad creandum, si peream in miseria mea, et me non regat dextera tua? Haec te cogat, Domine Deus meus, clementia ad salvandum, quod creatum est, quae te compulit creare, quod creatum non est. Ipsa te vincat charitas ad salvandum, quae te vicit ad creandum, quia nec nunc minor est, quia ipsa charitas tu ipse es, qui semper idem es. Non est abbreviata manus tua, Domine, ut salvare nequeat, nec aggravata est auris tua, ut non audiat: sed peccata mea diviserunt inter me et te, inter tenebras et lucem, inter imaginem mortis et vitam, inter vanitatem et veritatem, inter lunaticam hanc vitam meam et sempiternam tuam. S. Augustinus.

Oratio ad Deum Filium.

Jesu Domine, Jesu pie, Jesu bone, qui mori dignatus es propter peccata nostra, et resurrexisti propter justificationem nostram: rogo te per illa salutifera vulnera tua, quae passus es in

cruce pro salute nostra, e quibus emanavit ille pretiosus sanguis, quo sumus redempti; vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es: vulnera eam igneo et potentissimo telo tuae nimiae charitatis. Vivus est enim sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti. Tu sagitta electa et gladius acutissimus, qui durum scutum humani cordis penetrare tua potentia vales, confige cor meum jaculo tui amoris, ut dicat tibi anima mea: charitate tua vulnerata sum, ita ut ex ipso vulnere amoris tui uberrimae fluant lacrymae die ac nocte. Percute, Domine, percute, obsecro, hanc durissimam mentem meam pia et valida cuspide dilectionis tuae, et altius ad intima penetra potenti virtute, et sic de capite meo educ aquam immensam, et de oculis meis verum fontem lachrymarum jugiter manantem, ex nimio affectu et desiderio visionis pulchritudinis tuae; ut lugeam die ac nocte, nullam in praesenti vita recipiens consolationem, donec te in coelesti thalamo merear videre dilectum et pulcherrimum Sponsum meum, Deum et Dominum meum, ut ibi videns gloriosam, admirabilem et pulcherrimam faciem tuam, omni dulcedine plenam, cum his, quos elegisti, Majestatem tuam supplex adorem, et illic tandem coelesti et ineffabili repletus jubilo aeternae exultationis, exclamem cum diligentibus te dicens: Ecce quod concupivi jam video, quod speravi jam teneo, quod desideravi jam habeo. Illi namque in coelis junctus sum, quem in terris positus tota virtute dilexi, tota charitate amplexus sum, cui toto amore inhaesi, ipsum laudo, benedico atque adoro. Qui vivit et regnat Deus in saecula saeculorum. Amen. S. Augustinus.

Oratio ad Deum Spiritum sanctum.

Jam divini amor numinis, Patris omnipotentis, Prolisque beatissimae sancta communicatio, omnipotens paraclete Spiritus, moerentium consolator clementissime, jam cordis mei penetralibus potenti illabere virtute, et tenebrosa quaeque laris neglecti latibula, corusci luminis fulgore, pius habitator laetifica, tuique roris abundantia, longae ariditatis marcentia squalore, visitando foecunda. Saucia interioris hominis arcana tui amoris jaculo, et torpentis medullas jecoris flammis salutaribus penetrando succende, sanctique fervoris igne illustrando intima mentis et corporis universa depasce. Pota me torrente voluptatis tuae, ut nil jam mundanorum degustare libeat venenatae dulcedinis. Judica me Domine et discerne causam meam de gente non sancta: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Credo ergo, quia quemcunque inhabitaveris, Patris ac pariter Filii domicilium condis. Beatus, qui te merebitur hospitari, quoniam per te Pater et Filius apud eum faciunt mansionem. Veni jam, veni benignissime dolentis animae consolator, in opportunitatibus et tribulatione adjutor. Veni mundator scelerum, curator vulnerum. Veni fortitudo fragilium, relevator labentium. Veni humilium doctor, superborum destructor. Veni orphanorum pius pater, viduarum dulcis judex. Veni spes pauperum, refocillator deficientium. Veni navigantium sidus, naufragii portus. Veni omnium viventium singulare decus, morientium unica salus. Veni sanctissime Spiritus, veni et miserere mei, apta me tibi, et condescende propitius mihi, ut mea tuae magnitudini exiguitas, roborique tuo mea imbecillitas

secundum magnitudinem tuarum complaceat miserationum, per Jesum Christum Salvatorem meum, qui cum Patre in tua unitate vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen. S. Augustinus.

Oratio ad beatissimam Virginem Mariam.

Rogamus te, Domina, per ipsam gratiam, qua te pius et omnipotens Deus sic exaltavit et omnia tibi secum possibilia esse donavit, quatenus id apud ipsum nobis impetres et obtineas, ut plenitudo gratiae, quam meruisti, in nobis sic operetur, quo participium beati praemii nobis ejus misericorditer quandoque condonetur. Ad hoc quippe Deus noster per te factus est frater noster, ut, quemadmodum ipse dignatus est consors fieri nostrae humanitatis, sic nos mereamur consortes fieri suae Divinitatis. Intende ergo, Domina piissima, ut nobis ad effectum proveniat, propter quod Deus noster ex tuo castissimo utero factus homo inter homines venit, nec sis, quaesumus, exoratu difficilis; quia proculdubio idem benignissimus Filius tuus Dominus noster Jesus Christus erit ad concedendum, quidquid voles, promptissimus et exaudibilis. Tantummodo itaque velis salutem nostram, et vere nequaquam salvi esse non poterimus. Quid igitur stringet larga misericordiae tuae viscera, Domina, contra nos, ut nolis salvari nos? Certe Deus noster (teste Propheta) misericordia nostra est, et tu ejusdem Domini nostri absque dubio vera Mater es. Si tu ergo, quae Dei Mater es et es revera misericordiae Mater et gratiae, denegas nobis effectum misericordiae, cujus tam mirabiliter facta

es Mater: quid faciemus, cum idem Filius tuus advenerit cunctos aequo judicaturus judicio? Siquidem, licet ipse Filius tuus sit per te factus frater noster, ubi voluntatem tuam, suae videlicet dilectissimae Matris, magis porrectam adverterit; illuc, servata aequitatis ratione, a qua te nullatenus discrepare videbit, judicii sui sententiam, sive ad misericordiam inflectendo seu ad justitiam intendendo, promulgabit. Subveni ergo nobis, Domina piissima, et non considerata peccatorum nostrorum multitudine velle tuum ad miserendum nobis inflecte. Cogita, quaeso, et recogita apud te, quia non ad damnandum sed ad salvandum peccatores Conditor noster ex te factus est homo. Cur itaque non juvabis nos peccatores, quando propter nos in tantam celsitudinem es levata, ut te, Domina, habeat et veneretur omnis pariter creatura? An ideo, utrum pereamus, amplius non curabis, quia, quidquid de nobis miseris ultra eveniat, gloriae tuae tactura nulla inde proveniet? Et hoc quidem, bona Domina, fortassis aliquo modo dici posset, si pro tui solius exaltatione et utilitate Mater Dei facta fuisses; sed utique Deus, qui hominem assumpsit ex tua castissima carne, hoc fecit pro tua et nostri omnium salute. Si ergo tu, quae plena salute es potita, non intendis, ut eadem salus pro modulo nostro etiam ad nos usque pertingat; jam, tuorum sufficiens commodorum, nostrorum negligens esse videberis: et quae pro totius mundi salvatione meruisti fieri Mater Altissimi, cum nos postposueris, quos obvolvit finis saeculi: quid, quaeso, proderit nobis tua gloriosa et felix exaltatio; et quid inde habemus dulcis et affectuosae exultationis? Ut ergo, Filium tuum totius mundi Salvatorem et te ejus Reconciliatricem esse, veraciter sentiamus: eo

nos propensiori studio juva, precamur, et fove, quo in faecibus mundi natos et alitos potiori levamine prospicis indigere. Ab initio denique renovationis humanae omnibus sub tuum praesidium confugientibus hucusque succurristi, et idcirco prae omni creatura omni laude dignissima dici et esse meruisti. Eja succurre, oramus, ut laus, quam per tot saecula digne possedisti, continua tibi duret in gratia ipsa, qua mundo perdito subvenisti. Tibi ergo nos commendamus; tu procura, ne pereamus: effice potius, ut salus nostra de die in diem multiplicetur et Filio tuo Domino nostro Jesu Christo vita nostra jugi devotione famuletur. Qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit per omnia saecula saeculorum. Amen. S. Anselmus.

Alia oratio ad B. Virginem.

Memorare, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam ad tua currentem praesidia, et tua implorantem auxilia, aut tua petentem suffragia a te derelictum. Ego tali animatus fiducia, ad te, Virgo Virginum, Maria, Mater Jesu Christi, confugio, ad te vènio, ad te curro, coram te gemens peccator et tremens assisto: noli o Domina mundi, noli aeterni Verbi Mater, verba mea despicere; sed audi propitia, et exaudi me miserum ad te in hac lacrymarum valle clamantem. Adsis mihi, obsecro, in omnibus necessitatibus meis, nunc et semper, maxime in hora mortis meae. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.

Ad Beatum Michaelem Archangelum precatio.

Coelestis militiae Princeps, qui gloriose de hostibus maximis triumphasti, et Ecclesiam Dei fortiter usque propugnas, sanctissime Michael, per quem divina virtus multa et praeclara praestitit atque praestat: veni in adjutorium populo Dei, et militanti Ecclesiae contra impios procura victoriam nosque simul adversus diabolicos insultus in vita et morte patrocinio tuo defende et subleva. Princeps gloriosissime Michael Archangele, esto memor nostri, ut hic et ubique semper Filium Dei pro nobis preceris.

Oratio pro gratia bene precandi obtinenda.

Aeterne Deus et misericors Pater, quia nos ipsi ignoramus nec intelligere facile possumus, quidnam aut quo pacto orare debeamus; tu autem potens es facere supra omnia, quae intelligere aut petere possumus: te igitur invoco secundum promissionem tuam, super nos spiritum gratiae et orationis effunde, qui nostram apud te causam gemitibus inenarrabilibus agat, ut ore ac corde devoti, vero fervore orantes, gratiam laudis et gratiarum actionis hostiam tibi sacrificemus. Aperi Domine labia mea, ut os meum laudem tuam annuntiet. Excita mentem et animum meum, ne labiis tantum ac ore, sed etiam te corde honorem. Gratiam clementer concede, ut quemadmodum veri adoratores, in spiritu et veritate cum intima animi attentione, absque hypocrisi et ambitione te invocem, et ut nihil a te aliud petam,

quam quod divinae voluntati, laudi ac gloriae tuae, et animae meae saluti conveniat. Spem etiam indubitatam largire, quicquid firma fide certaque fiducia a propitia bonitate tua petiero, me impetraturum: ut etiam auxilii et exauditionis tempus, modum ac terminum non praefigam: sed ut clementi voluntati tuae, quae semper optima est, omnibus in rebus, spe firma, patientia et humilitate cordis, me totum subjiciam. Gratiam quoque tribue, ne in justificationibus nostris prosternamus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis, atque in nomine dilecti Filii tui Jesu Christi oremus, per quem cum fiducia thronum gratiae tuae accedimus, et filiorum affectu clamamus: Abba, Pater. Fortitudinem nobis tribue, ne indignitate vitae nostrae ab orando deterreamur. Succurre, clementissime Deus, ut in omni loco sancto manus, sine disceptatione et ira, levemus, et assiduis obsecrationibus instantes, ob propitiam promissionem tuam, temporalia coelestiaque bona consequamur. Amen.

Oratio ad Jesum Christum pro felici ex hac vita transmigratione.

O Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, per amarissimam illam angustiam, quae animam tuam oppressit in monte Oliveti, perque tremorem illum et pavorem, qui invaserunt sanctissimam carnem tuam, quando prae dolore dicebas: Tristis est anima mea usque ad mortem; te oro animo et spiritu humillimo, corpore quoque in terram prostrato, ut in ultima hora transitus mei, quando in extrema angustia timor et tremor occupabunt cor et intellectum meum, succurras mihi, et des

in tristi illa agonia vitaeque et mortis duello robur et fiduciam tuae misericordiae. O suavissime Domine et Magister mi, noli me illa hora et in summo illo periculo derelinquere, sed sicut Pater tuus misit tibi Angelum de coelo, qui te consolabatur, ita tu Domine mitte mihi Angelum sanctum tuum, qui mihi assistat in illa hora, qui me confirmet et robur subministret contra omnes impugnationes inimici, quique in omnibus mihi auxilietur. Noli Domine consentire, ut consilium et tentationes maligni praevaleant contra nos, aut ejus tentationes nos superent, aut ut ille falsis suis persuasionibus nos seducat et decipiat. Arma et confirma cor nostrum virtute tuae patientiae, ut nec adversitas, nec dolor quantumvis magnus et violentus nos ad impatientiam impellat, sed in omnibus et per omnia sit anima nostra subjecta et conformis tuae divinae voluntati; tam in infirmitate, quam in sanitate; tam in adversitate, quam in prosperitate; tam in morte, quam in vita, quemadmodum et tu Domine voluntatem tuam naturalem postposuisti voluntati Patris tui, dicens: Non mea, sed tua voluntas fiat. Non flagito Domine, ut mortem mihi concedas dulcem, non dolores exiguos, non morbum oro facilem: omnia haec tuae commendo pietati, ut disponas haec, non secundum desiderium meum, sed secundum utilitatem et necessitatem animae meae. Gratia, quam a te petimus, est, ut in omni casu nobis detur robur et fortitudo talis, quae nulla in re succumbat, sed invicta maneat et inexpugnabilis usque ad vitae terminum; ut ex societate, quam in hac vita tecum habemus per gratiam, mereamur hinc transmigrando venire ad illam, quam tecum habent Sancti in gloria. Amen. Ludovicus Granatensis.

Oratio pro uno defuncto.

Ex mera fraterna christianaque charitate, o aeterne Deus, commendo tibi animam N., quam tu ex hoc aerumnoso evocasti saeculo: te suppliciter orans, ut eam non secus suscipias, quam olim suscepisti animam mendici tui Lazari. Ne memineris, Domine, quod dum viveret, te offendit: nam praeterquam quod istius eum poenituit, etiam in infinita misericordia tua semper speravit, et in nunquam exhauriendo meritorum Filii tui thesauro semper ejus fiducia fuit collocata, qui sufficiens est non tantum pro hujus miseri, sed pro totius mundi peccatis satisfacere.

Domine, opus manuum tuarum non sit in derisum et in similitudinem improperii hostibus tuis, qui invident ipsi gloriam, antequam crearetur, a te illi praeparatam; quam ut consequeretur, et locum, unde maligni illi ejecti sunt, possideret, toties eum a periculis et animae et corporis liberasti. Tu scis, Domine, quod antiqui serpentes illi auctores et impulsores fuere, qui fragilem ejus carnem peccare fecerunt: ne igitur, Domine, ab impostoribus illis haeriditas tua tibi subtrahatur, cum uno verbo destruere poteris, quod illi tanto tempore et tam variis consiliis construxerunt; et hanc animam tam puram, sanctam et nobilem vel uno momento efficere, ut digna sit vocari et esse haereditas Altissimi.

Ostende illi, o aeterne Deus, extremam pietatem tuam, intima tuae misericordiae viscera, pectusque paternum tuum, quod toties, dum vixit in hoc saeculo, illi exhibuisti in conferendis plurimis gratiis, quibus illam exornaveras. Non tam ingrata fuit, quin te omnis virtutis fontem et largitorem agnoverit: non tam caeca, quin a te

petierit illuminari: non ita in peccatis sepulta, quin semper voluerit se emendare: non usque eo potestati daemonis permissa, quin semper de paterna tua charitate spe plena exspectaverit, fore, ut in extrema necessitate illi opitulareris et in gratiam tuam reciperes.

Omnipotens Deus, id omnino credimus, quod nullo nomine aut gratiori tibi aut jucundiori nobis te indigitare possumus, quam si te misericordem Patrem appellemus. Ostende igitur, o misericordissime Pater, gratiam et misericordiam tuam erga hunc puerum tuum, quem creasti, quem redemisti, quem tot saeculis ante orbem conditum in corde tuo gestasti: qui tibi tantae curae fuit, ut volens redimere, laveris eum in lavacro pretiosissimi Filii tui sanguinis, ejusque Carne et Sanguine nutriveris: pro quo nihil facere intermisisti aliud, quam quod aut tibi impossibile erat, aut illi non necessarium. Quare, o Domine, te iterum atque iterum obtestor et oro, tribue nobis, ut cum et ego aliquando viam universae carnis ingressus fuero, hunc, pro quo deprecor, inveniam inter Sanctos tuos, ut unanimiter te laudemus et glorificemus, quia tibi debetur laus et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Feria quinta, quando vesperi signum datur agoniae Christi in horto.

Jesus factus in agonia, prolixius orabat. Pater noster. Ave Maria.

Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Pater noster. Ave Maria.

Et factus est sudor ejus sicut guttae sanguinis

decurrentis in terram. Pater noster. Ave Maria.

V. Sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit.

R. Et qui consolaretur, et non inveni.

Oremus. Da, quaesumus, omnipotens Deus: ut, qui in tot adversis ex nostra infirmitate deficimus, intercedente unigeniti Filii tui Passione respiremus, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Feria sexta, quando sub meridiem signum datur Mortis Christi in cruce.

A sexta hora tenebrae factae sunt super universam terram, usque ad horam nonam. Pater noster. Ave Maria.

Hora nona exclamavit Jesus voce magna, dicens: Deus meus! Deus meus! quid dereliquisti me? Pater noster. Ave Maria.

Jesus iterum clamans voce magna: Pater! in manus tuas commendo spiritum meum, inclinato capite tradidit spiritum. Pater noster. Ave Maria.

V. Proprio Filio suo non pepercit Deus.

R. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Oremus. Respice, quaesumus Domine, super hanc familiam tuam: pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum. Qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Orationes peccatoris poenitentis.

1. Oratio ad Deum Patrem.

Rogo te, immensa pietas, Deus Pater omnipotens, ne perdas me creaturam tuam, ad tui similitudinem conditam, ac pio Filii tui, Domini mei Jesu Christi cruore redemptam. Porrige mihi manum tuam, Domine Deus meus, et eripe me de profundissimo lacu iniquitatum mearum. Erige lapsum, solve compeditum, illumina coecum, sana me mille malignorum spirituum vulneribus sauciatum. Heu me miserum, heu me perditum, heu me indeficienti lachrymarum fonte lugendum! qui dum spurcissimae carnis meae legibus vixi, nunquam te de me gaudere permisi, sed semper te reprobae vitae meae flagitiis ad amaritudinem provocavi.

Sed scio, Domine, quia in voluntate tua cuncta sunt posita, et non est, qui possit tuae resistere voluntati. Si enim decreveris salvare nos, continuo liberabimur. Produc, Domine, de saxea cordis mei duritia lachrymarum abundantiam, qui de rupe deserti largissimam profluentis aquae copiam prodire jussisti. Qui Danielem in lacu a leonum morsibus custodisti, eripe me. Qui tres pueros de camini aestuantis incendio liberasti, libera me. Qui liberasti Israel de oppressione Pharaonis, libera me. Qui liberasti David de manibus Goliae, et Saulis, libera me. Qui eduxisti Petrum de carcere Herodis, libera me.

Domine benedicte, gloriose, piissime, vides, et ipse conscientiae meae testis es, quia volo

mala mea cuncta respuere sanctisque tuis jussionibus, ut dignum est, obedire; sed quia nequeo ex me, spero in te. Non enim invenio in carne mea bonum. Et revera, Domine, quis unquam Sanctorum ex se virtutem, vel sanctitatem habere potuit? Quis per se sine auxilio perfectionis culmen ascendit? Certe, Domine, non Petrus, non Martyr, non Apostolus, non denique ipse Angeli, non Cherubim, non Seraphim, nisi a te percepissent, donum aliquod habere potuissent. Si ergo ipsae Virtutes coelorum nihil habent a se, sed omnia perceperunt a te, quid ergo boni a me, qui sum stercus et vermis, pulvis et cinis, poteris exspectare, nisi quod ipse digneris infundere?

Tu enim es Pater luminum, a quo omne datum optimum omneque donum perfectum. Tu es, a quo bona cuncta procedunt. Tu fons vitae. Tu auctor salutis aeternae. Sicut enim terrae non a se ipsa, sed de coelo semper lumen infunditur; sic anima mea sicut terra sine aqua tibi, tenebrosa squalet semper et arida, nisi tuae gratiae rore perfusa, tui splendoris radio fuerit illustrata. Vide ergo, Domine, miseriam meam, vide tantae paupertatis inopiam, mihique compunctionis gratiam tribue, quae animae meae rubiginem tergere, tamque cruenta meorum criminum valeat inquinamenta lavare. Expelle, Domine, frigus hoc atque torporem de meo pectore, et flammam in me dulcissimae tuae charitatis accende. (P. D. N.) S. Petrus Damianus.

2. Oratio ad Deum Filium.

Domine Jesu Christe, si tu es lux vera, et ego colo te, cur pateris in tenebris esse me?

Vae mihi, lumen adoro, et tenebras perfero; veritati deservio, et per inanium cogitationum figmenta deludor? Domine, qui cavernas tartari Divinitatis tuae radiis illustrasti, tenebrosum mei cordis infernum visitationis tuae luce perfunde: ut animam, quam tu dignatus es, lux aeterna, redimere, tenebrarum auctor nequeat in obscuritatis suae caligine possidere. Qui illuminasti caecum a nativitate, illumina me. Qui leprosos mundasti, purifica me. Qui Lazarum de sepulchro suscitasti, resuscita me vitiis foetidum et perversae consuetudinis mole depressum.

Numquid, Domine, immensam tuae pietatis abundantiam mea valebit iniquitas vincere, quam totius mundi non potuerint crimina superare? Nam cum totus pene mundus esset idololatriae deditus, quis te rogare praesumpsisset, ut, quem coeli non capiunt, uteri virginalis angustias habitaturus inviseres? mortalitatis nostrae membra susciperes? mortis atrocissimae tormenta perferres, ut inimicos tuos a mortis debitae supplicio liberares? Si ergo, clementissime et piissime Domine, misericordiae tuae magnitudinem totius mundi flagitia non vicerunt, unius homuncionis peccata, quantumlibet gravia, superabunt? Absit hoc a te, Domine, absit a te, qui dixisti: Nolo mortem peccatoris. Quid est ergo, quod dicis: Gaudium esse Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente? Quid est, quod de te Propheta dicit: Quia miserationes tuae sunt super omnia opera tua? Nonne tu, Domine, permisisti te ab illa spurcissima et foedissima muliere contingi, quae fluxu erat sanguinis cruentata? Cujus praesumptionis audaciam non modo nullatenus condemnasti, sed ut salutem quoque cum ipsa vestimenti fimbria raperet, in-

dulsisti. Nonne tu, mitissime Domine, cum multivira illa Samaritana loqui dignatus es? Sive, quod majus est, numquid non cum Chananaea, quae adorabat idola, colloquium miscuisti? Ejus insuper filiam a daemonio maternis precibus liberasti?

Hanc circa me, quaeso Domine, mirandae pietatis tuae regulam exhibe. Non Pauli, non Petri misericordiam quaero: quia dum alter ignorantia, alter timore peccavit, facile uterque veniam obtinuit. Illud mihi, piissime Domine, misericordiae tuae genus indulge, illud animae meae languenti, vel jamjam potius morienti suavissimae medicinae tuae poculum porrige, quod latroni in cruce pendenti misericors obtulisti, eumque absorptum ex deglutientis mortis faucibus eduxisti. Illud tuae misericordiae genus quaero, quod deprehensae in adulterio praebuisti, quod peccatrici in domo Simonis contulisti: quae dum pedes tuos crinibus tersit, animam suam a peccatorum sorde purgavit. Hoc modo trahe me ad te, Salvator meus. Accende me, purifica me. Impleantur amore tuo omnia viscera mea, ut benedicat tibi anima mea, et descendat super me misericordia tua. Ad hoc enim te Pater omnipotens misit in terras, ut salvos facias peccatores.

Recordare, Domine Jesu Christe, quia non auro, vel argento, sed proprii sanguinis tui me pretio redemisti. Et cum tu sis fons patens domus David in ablutione peccatoris et menstruatae, ego solus, Domine, tantae pietatis expers ero, et extra redemptionis tuae lineam remanebo? Heu me, piissime Domine, permittes me cum regenerationis tuae tunica, quam mihi dedisti, cum vexillo sanctae crucis, quam mihi in fronte pinxisti, in manus venire

diaboli, et cum ipsis tuis insignibus aeternis incendiis cruciari? Scio, Domine, quia tantae pietatis es, si ego perfecte convertor ad te, quod tu statim recipies me. Sed quia tantae fragilitatis et ignorantiae sum, ut ipsa conversio per me sine te digne fieri non possit; tu me converte, Deus Salutaris meus, tu illumina animam meam, tu dirige, tu in me flammam tuae dilectionis accende.

Ecce corpus meum, per quod te miser offendi, tu, qui es animarum medicus, verbera, flagella; sive lepra, sive quibuscumque doloribus tibi visum fuerit, percute. Tua plane creatura sum, Conditor meus; tu me tuis cinge flagellis, nec tradas me in manus inimici mei: aut si eousque mea processit iniquitas, ut in hac non possit vita deleri, praecipe usque ad diem judicii tui ultricibus me poenis affligi, ut tunc saltem extremus omnium Electorum tuorum merear inveniri.

Scio, Domine, quia non mereor Ecclesiae tuae limina sacra contingere, nec infelices oculos ad coelum levare. Indignus sum, benedictum et gloriosum nomen tuum per polluta et spurca labia mea proferre; sed veniat, oro, Spiritus tuus in animam meam, et omnia haec inquinamenta detergat. Si enim sol iste, qui non de sublimioribus tuis est creaturis, tantas habet vires, ut sordes deleat, terras illustret, arva foecundet; quanto magis si coaeternus et consubstantialis tibi Spiritus tuus infelicem hanc arbusculam arescentem jam dignetur invisere, faciet eam protinus revirescere? nec impotens erit eam virtutum floribus ac vernantium fructuum decore vestire. Veni, Domine Jesu, veni dulcis habitator in me. Odor tuus omnia vincit aromata, suavitas tua favos et omnia mella transcendit. Veni, obsecro,

totumque me tuo juri sic vindica, ut nullam in me partem de caetero se tyrannus (infernalis) habere cognoscat; sed dedica me undique templum tuum, quia tu es Deus et Dominus meus. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen. S. Petrus Damianus.

3. Oratio ad Deum Spiritum sanctum.

Spiritus sancte Deus, omnipotens, coessentialis et coaeterne summo Patri ac Filio, ineffabiliter ab utroque procedens, cordi meo dignanter illabere, et nequitiae meae tenebras mirificus illustrator expelle; ut sicut Dei Verbum virginalis potuit uterus, te superveniente, concipere; ita et ego per auxilium gratiae tuae eundem meae salutis Auctorem valeam semper in mente portare. Tu enim Domine, lux es mentium, tu virtus cordium, tu vita es animarum. Tu largitus es sanctis Apostolis, ut ad plenum redemptionis humanae sacramenta cognoscerent, et fidei regulam inoffenso veritatis limite praedicarent. Tu dedisti beatis Martyribus sanctae libertatis audaciam, ut mundi Principes non metuerent et exquisita poenarum genera constantissima longanimitate transirent. Tu locutus es in Prophetis, tu in Patriarchis fidei fundamenta constituisti. Tu Sanctis omnibus et velle et posse, omniumque virtutum flores, quibus coelestia scanderent, praebuisti. Et ego peccator infelix, quomodo sine te salvus fieri valeo, qui scilicet absque te, quid saltem orare debeam, non agnosco?

Descende ergo in me, vivificator aeterne,

meique pectoris glaciem flamma tuae charitatis accende. Praebe capiti meo aquam, et saxeam cordis mei resolve duritiam. Super hoc scilicet elementum, Domine, et ante mundi originem ferebaris et nunc ad purificationem animarum in vivifica fontis fluenta descendis. Veni ergo in me cum aqua compunctionis, et potum mihi da in lachrymis in mensura. Vae mihi misero peccatori, qui innumerabilia quotidie flenda committo, et tamen flere non valeo. Imber ergo gratiae tuae, Domine, destillet in me, ut anima mea, quae a vitae fonte recedens aruerat, per tuae visitationis afflatum noviter revirescat. Paratum cor meum, paratum cor meum. Ecce, Domine, omnes sinus tibi mei cordis aperio, arcana pectoris laxo, tuaeque dignitatis accessum inhianter exspecto.

Tu purificator et vivificator Spiritus, omnipotens, aeterne Deus, ignis consumens es. Corripe itaque cor meum, et omnium culparum vitiorumque rubiginem virtute tui ardoris exterge, et inimicum tibi nequitiae spiritum a cunctis meis sensibus prorsus exclude. Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant a facie ejus, qui oderunt eum. Sicut deficit fumus, deficiant; sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei. Veni, quaeso, veni benedicte Spiritus veritatis, et omnes meorum viscerum venas intimus scrutator ingredere. Tolle quidquid fermentatum, quidquid vitiosum, quidquid reperis noxiae vetustatis peste corruptum, meque fac azymum ac tuae munditiae puritate sincerum. Redde me mortuum mihi, viventem tibi. Mortifica in me omnes fomites carnalium voluptatum, excoque me ad purum et non solum

vitiis, sed et mundo me redde prorsus extinctum.

Veni, obsecro, Spiritus benedictionis aeternae, omnesque pectoris mei latebras inenarrabili tuae dilectionis suavitate perfunde. Anima mea ad tuum liquescat adventum, coelestem virtutem per te renovata concipiat, ad sui vigoris originem redeat, atque in amorem tuum succensis visceribus inardescat. Benedic anima mea Dominum, et omnia interiora mea nomen sanctum ejus. Uberem gratiae tuae benedictionem, Domine, anima mea suscipiat: et ut tibi medullatas hostias offerat, ineffabili tuae dulcedinis adipe saginata pinguescat. Illumina me, lux veritatis, accende me, purifica me. Tu enim es largitor charismatum, tu auctor sanctificationum, et omnium remissio peccatorum. Tu Virtutes angelicas ad amorem tuum indesinenter inflammas; tuae charitatis incendio Cherubim et Seraphim incomparabiliter aestuant. Tu me, Domine, tibi totum vindica, totum posside, nullamque in me partem a te vacare permitte: sed solus in me, meque tibi soli vivere facias. Qui vivis et gloriaris in Trinitate perfecta unus et verus Deus per omnia saecula saeculorum. Amen. S. Petrus Damianus.

4. Oratio ad B. V. Mariam et Sanctos.

Sed quoniam preces meae, tam sordido ore prolatae, ad te (Domine Deus meus) non merentur ascendere; te rogo, Beata Virgo Maria, templum Dei vivi, aula Regis aeterni, sacrarium Spiritus sancti, benedicta inter mulieres. Tu de-

fer preces meas ad Filium Creatorem tuum. Immo tu ora pro me, tu obsecra: cujus nimirum vota non possunt despici, cujus preces in ejus conspectu nequeunt parvi pendi. Ecce, Domina mea, infelix ego deprehensus in crimine, trahor ad supplicium. Exurgat ergo Regina mundi, opponat se, ingrediatur ad Filium et liberet reum.

Accurre et tu, o Michael, coelestis militiae Princeps. Libera a tentatione animam meam, dum vivit in corpore, ut eam post obitum Creatori suo digne valeas praesentare. Adjuva me et tu, o b. Gabriel, foederator coelestium nuptiarum: salva me precibus tuis miserum peccatorem, qui illum missus es nunciare, qui venturus erat in mundum, peccatores et miseros liberare. Medere et tu languidae animae meae, s. Raphael: quique Sarae daemonium abstulisti, et Tobiae oculos, quos perdiderat, reddidisti, malignum ab anima mea spiritum exclude, et caeco cordi meo luminis jubar infunde.

Orate pro me, omnes sancti Angeli, omnes sanctae Virtutes, omnes sanctae Potestates, omnes sanctae Dominationes, omnes sancti Principatus. Ora pro me, sancte chorus Throni, ora pro me, sancte chorus Cherubim, ora pro me, sancte chorus Seraphim. Orate pro me, omnes sancti Patriarchae, omnes sancti Prophetae. Oret pro me judex Apostolorum senatus. Oret pro me candidatus Martyrum chorus. Orent pro me sancti Confessores omnesque sanctae Virgines. Orate pro me misero et funditus perdito omnes Sancti Dei. Et quae est tanta multitudo peccati, quae tot senatorum coelestium nequeat intercessione deleri? Nec enim potestis esse misericordia vacui, qui cum ipso fonte misericordiae inseparabiliter estis uniti. S. Petrus Damianus.

5. Oratio ad Christum Jesum, coram effigie s. crucis ejus.

Mediator Dei et hominum, Domine Jesu Christe, qui veram carnem ex intemeratis B. Mariae visceribus suscepisti, quique pro salute nostra ipsum agnum immaculati tui corporis obtulisti Deo Patri super Aram crucis in odorem suavitatis: atque, ut antiquae praevaricationis virus evomeret, temetipsum fecisti humano generi medicinam; absolve me nimis infelicem et miserum, innumeris peccatorum vinculis obligatum. Ecce ante ipsum, Domine, vivificae crucis tuae me prosterno vexillum, novumque et inauditum victoriae tuae supplex adoro triumphum. Tu enim Sacerdos et hostia; tu Redemptor et pretium. Libet, piissime Domine, tanquam sub recenti tuae Passionis articulo te in crucis supplicio videre pendentem. Libet pretiosissimum sanguinem in ore meo suscipere distillantem. O beata scilicet hostia, quae et tartarea septa dirumpit, et coelestis regni januam fidelibus aperit! O pretii nostri pondus in crucis statera libratum, quo debiti nostri chirographum antiquus exactor deplorat incisum!

Video te interioribus oculis, Redemptor meus, cruci clavis affixum. Video te novis vulneribus sauciatum. Audio te latroni clara voce dicentem: Hodie mecum eris in Paradiso. Per istud itaque salutiferae tuae Passionis ac Mortis imploro mysterium: per hoc, inquam, redemptionis nostrae lachrymabiliter obsecro sacramentum, noli me, sicut mereor, ab Electorum tuorum societate dividere, sed in Paradisi gloria cum ipsomet beato latrone constitue. Tu, Domine, animam meam hujus sanctae crucis impres-

sione consigna, tu me hujus virtute purifica. Per hanc me totum juri tuo sic vindica, ut nulla prorsus adversarii valeat in me portio reperiri; quatenus, te ad judicium veniente, cum hoc in coelo divinae virtutis insigne claruerit, ego hoc stigmate signatus, ut crucifixo configuratus in poena, consors fieri merear resurgentis in gloria.

Tu, Domine, per quinque plagas sacratissimi corporis tui sanasti omnia vulnera, quae nobis inflicta sunt per quinque sensus corporis nostri. Tu Patri victima suavitatis, et nobis factus es pretium redemptionis. Adoro, Domine, crucem tuam: adoro vivificam Mortem tuam. Abluat, obsecro, sanguis tuus sordes animae meae; nec ulterius teneat exactor obnoxium, pro quo tam sublime pretium est solutum. Sit iste victoriae tuae titulus, Domine, in anima mea semper erectus, ut nullum in possessione tua jus sibi vindicet invasor antiquus, sed, hoc perspecto, praesto diffugiat et velut fumus ad accessum tui spiritus evanescat: ut haereditatem tuam, quam proprio mercatus es sanguine, per continuam digneris gratiam possidere; cui sis per misericordiam tuam et protector invictus et inhabitator assiduus.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, gratias agimus immensae tuae pietati, qui cum in forma Dei esses, pro nobis temetipsum humiliasti, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Deprecamur te, Domine, ut quibus tantam contulisti gratiam, veram peccatorum tribuas indulgentiam. Custodi in nobis opera misericordiae tuae, ne pereant, quos redemit dextera tua. Sana languores populi tui et da gloriam nomini tuo. Rogo etiam te, Domine piissime, ut me miserum ac fragilem a tua non repellas gratia: et qui hucusque longe a tua volun-

tate vitiosus discessi, deinceps per ineffabilem misericordiam tuam emendatus, tuae placeam feliciter Majestati. Depelle a me, Domine, quidquid noxium, quidquid ineptum, quidquid vitiosum, quidquid tuae voluntati est contrarium. Concede mihi, Domine, ut mala mea hic, dum vivo, digne defleam, et acceptabilis sit poenitentia mea in conspectu tuo. Tribue mihi veram fidem, spem firmam, charitatem non fictam. Sit in me fixa humilitas, sobria vita, vera scientia, fortitudo, prudentia, justitia, temperantia, cursus rectus, finis perfectus, te praestante, Deus noster. Qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen. S. Petrus Damianus.

Oratio Dominica

paraphrastice ad Celebrantem vel Communicantem applicata, ex Merlo Horstio.

Pater noster.

Potentissime, sapientissime, clementissime Deus, qui, ut dulcedinem in filios tuos demonstrares, pane suavissimo de coelo praestito esurientes reples, et quae creasti, omnia tam paterne et mirabiliter alis, foves et conservas. Ecce et ego unus, licet vilissimus filiorum tuorum, confidenter nunc levo oculos meos ad te, qui es in coelis; ut tu paternae benevolentiae oculis respicias super me miserum et inopem, procul agentem a facie Patris, inter filios Evae, in valle lacrymarum, exulem et peregrinum super terram, et suspirantem ad te dulcissimum Pa-

trem meum. Quid vero nunc potissimum petam a te, nisi ut .

1. Sanctificetur nomen tuum.

Hoc enim est praecipuum votum et desiderium cordis mei, ut omnia, quae facio, dico, cogito, cedant ad majorem gloriam nominis tui. Et nunc praecipue, cum ad sacra mysteria Corporis et Sanguinis Filii tui venimus, hoc unum intendo, hoc unice desidero, ut laudetur suprema majestas, potestas, bonitas et sapientia tua, cui debetur ab omni creatura omnis honor et gloria, aeterna laus et gratiarum actio; quia sic dilexisti nos, ut Filium tuum unigenitum nobis dares et in cibum et in salutis pretium. Pro quo, cum digne a nobis laudari nequeas, utinam ipse Filius tuus clarificet te: nam et tu exaltasti eum super omnia, et dedisti illi nomen, quod est super omne nomen.

2. Adveniat regnum tuum.

Cujus regni felicitatem ac delicias in hoc Sacramento praelibamus: dedisti enim nobis in pignus futurae gloriae Corpus et Sanguinem Filli tui, et sic nos quoque per gratiam adoptionis fecisti tibi haeredes, cohaeredes autem Christi.

Interim vero, dum adhuc in exilio peregrinamur a Domino, fac nos sic uti hoc sacro pignore, ut in dies magis magisque in nobis proficiat regnum tuum gloriae.

3. Fiat voluntas tua.

Quae est autem voluntas tua, nisi sanctificatio nostra; maxime cum accedimus ad haec Sancta Sanctorum? Vis etiam, ut manducemus Carnem Filii hominis et bibamus Sanguinem ejus, alias non habituri vitam in nobis. Quis autem hoc facere praesumeret, conscius infirmitatis suae, nisi id tam amanter et dignanter tu una cum Filio velles et praeciperes: nam idem est utrique velle, idem posse. Quia ergo ita vis, fiat, quod vis et quomodo vis; nempe sanctos nos esse vis, quia sanctus es; imo Sanctus Sanctorum, ad quem accedimus, Filius tuus. Sed quis sanctum faciet, nisi tu? Da, quod jubes. Fac, ut sancta non tractemus nisi sancte, caste et religiose. Unde

Sicut in Coelo Sancti pleno ore, puro corde et ardenti desiderio manducant hunc panem vivum revelata facie, ita et ego eum sumo in terra magno desiderio et puro affectu sub speciebus velatum, donec et cum Electis fruar illo in propria specie, et satier ab ubertate domus tuae.

4. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Oculi enim omnium in te sperant, Domine, et tu das illis escam in tempore opportuno. Tu aperis manum tuam, et imples omne animal benedictione; scis autem, Domine, quia non minus anima, quam corpus cibo reparari indiget, ut vivat: nam sicut illud naturalis calor, sic illam aestus concupiscentiae continuo depascitur. Sed o

felices filios, qui in domo tanti Patris, Ecclesia, sic abundant panibus! Hic panis gratiae copiose frangitur; hic panis Sacramentorum, et praesertim panis ille vivus, qui de coelo descendit, qui fuit natus in Bethlehem, id est, in domo panis; panis Angelorum, manna coeli omnibus apponitur. O pretiosa et nobilis esca! O grandis aeterni Patris charitas et misericordia! mihi enim non serenti neque metenti, neque horrea habenti frumentum Electorum et panis vitae e coelo datur. Tu Domine seminasti illum in terris, tu mortis falce messuisti, tu eum in horreo Ecclesiae tuae nutriendis filiis totum exposuisti.

Da mihi ergo, benignissime Pater, ut hoc pane saepius digne reficiar; imo etiam quotidie, si non sacramentaliter, saltem spiritualiter recipiam, quod quotidie mihi prosit: nam quia pecco et deficio quotidie, merito etiam quotidie remedium accipio, quod vires reficiat. O utinam hoc coelesti pane et viatico ita sustenter in hoc deserto, ut in fortitudine cibi illius ambulem usque ad montem Dei.

5. Et dimitte nobis debita nostra.

Heu, quam multa et gravia illa! in multis enim offendimus omnes. Vere miseri nos et inopes solvendo non fuimus, nec sumus.

Sed ecce Domine! apud te est misericordia, et copiosa apud Filium tuum redemptio, quem nostri misertus dedisti nobis. Ille justus, impollutus et innocens per omnia; quod nos debuimus, ille solvit; quod nos peccavimus, ipse luit et justitiae tuae abunde satisfecit, donans nobis immensum thesaurum meritorum suorum, et infinitum pretium sanguinis sui.

Hoc autem totum pretium velut depositum habemus in pretioso sanctissimi Sacramenti scrinio reconditum. Hunc ergo thesaurum nunc offero tibi, Pater aeterne, ut inde capias, quantum exigis a me pro debitis meis. Ego, unde solvam, non habeo; at Filii tui superabundant merita, ut inde mea solvantur debita.

Propter hunc itaque dimitte nobis, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; dimitto, inquam, ne forte extra vinculum charitatis indigne tractem Sacramentum pacis et unitatis, et frustra a Deo quaeram medelam, si homo homini reservem iram: quae enim mihi communicatio in Corpore et Sanguine Domini, si membris corporis ejus mystici, id est, proximis meis communione pacis et amoris non conjungar?

Oportet me utique, cum accedo ad Altare, prius reconciliari fratribus meis, si quid habent adversum me, et sic venire ad offerendum munus meum. Hoc Filius tuus me facere docuit, et ipse fecit: nam pendens in cruce, et solvens omnium debita dimisit inimicis suis et pro tortoribus te supplex oravit, dicens: Pater ignosce illis etc. Dimitte mihi itaque debita mea, pro quibus Filius tuus offert merita sua: his enim seclusis, si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit? etc.

6. Et ne nos inducas in tentationem.

O Domine, qui parasti in conspectu nostro mensam adversus omnes, qui tribulant nos, et panem apponis hic, qui cor hominis confirmat adversus omnes tentationes mundi, carnis et daemonis, da mihi per cibum coelestem et vivificum

vires et robur, ut tentatus non succumbam, sed tibi constanter adhaeream.

Non studeam esse amicus hujus mundi, aut conformari huic saeculo, sed virtute coelestis cibi transformer in te, ut uni tibi placere cupiam et displicere timeam. Sordeat mihi terra, quia hic mundi totius Dominum complector.

Nihil me carnis deliciae moveant, cui carne agni immaculati et manna coeli vesci datur, in quo delicias longe majores et omnem saporis suavitatem invenio.

Daemon vero, quid poterit in me, quando mecum est Deus? Si autem Deus pro me, quis contra me?

7. Sed libera nos a malo.

Multis enim in hac vita miseriis obnoxius sum: eae vero censentur malae, quatenus me fragilem dejiciunt et abstrahunt a te; abduci autem a te, id est, summo bono, hoc utique est summum malorum. Quis vero liberabit me ab hoc malo, nisi tu fons omnis boni, et, quem mihi dedisti Advocatum apud te omnisque salutis et felicitatis Auctorem: Jesus Christus, qui nos a peccato et a morte liberavit in sanguine suo?

Hoc Mediatore fac, ut omnia mihi cooperentur in bonum; quia non est nobis in aliquo salus. Is ergo me pascat, regat, conservet, protegat, ducat pro clementissimo suo beneplacito, velut ovem pascuae suae: quidquid mihi evenerit, malum non erit, si non separet me a summo bono. Nam mihi adhaerere Deo bonum est etc. quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? etc. Amen.

Oratio ad impetrandam à Deo virtutem humilitatis.

Domine mi, quis es tu, et quis sum ego? Tu es Deus coeli et terrae, Deus Deorum, Rex Regum et Dominus Dominantium. Ego sum vermis et non homo, faex hominum et opprobrium mundi. Tu es summa bonitas, summa dulcedo, summa pulchritudo: tu es gloria Sanctorum, thesaurus opulentissimus, vera lux, splendor clarissimus, fons vitae, vita nostrarum animarum, lumen coeli et lumen mundi. Ego autem sum abyssus tenebrosa, terra miserabilis, filius irae, vas ignominiae, conceptus in peccatis, natus in miseriis. Ego sum infirmus, caecus, claudus, surdus et mutus, omnium rerum bonarum vacuus, miseriarum vero plenus. Principium meum fuit peccatum, finis meus erit mors, quae mihi stipendium peccati est.

O Domine mi, quid ego sum, nisi umbra mortis et universa vanitas? puteus sordium, terra sterilis et maledicta, cujus fructus sunt tribuli, spinae et confusio. Igitur, ô Deus misericordiarum, propitius esto pauperrimae huic animae, quae ex se nihil est, et ratione peccati minus quàm nihil: pelagus vanarum cupiditatum, fons peccatorum, pro quibus si pro merito meo juste secundum magnitudinem et multitudinem illorum punirer, tot utique supplicia et tanta tormenta sustinere deberem, quanta est tua, o Domine, Majestas et magnitudo: siquidem tanta est culpa, quanta est Majestas offensa.

Peccavi, Domine, super numerum arenae maris, et non sum dignus intueri et aspicere altitudinem coeli prae multitudine iniquitatum mearum. Sed propter mansuetudinem, quae de te, bone Jesu, praedicatur, currimus ad te: cum audiamus, quia

non contemnis pauperes, et peccatores non aspernaris. Memor igitur esto, Domine, misericordiarum tuarum antiquarum, et sana animam meam, quia tu salus mea es. O Domine, converte nunc oculos tuae misericordiae, et opem fer huic pauperi mendico, qui omnium rerum premitur egestate. Tanta enim est, Domine, paupertas mea, ut ex meipso verum bonum velle sine tua voluntate, et quod volo, debite facere non possim, nisi tua me adjuvet clementia: quod autem facere possum, absolvere non possum, nisi tua me illuminet sapientia, nisi tua potentia mihi succurrat, nisi tua bonitas me confirmet.

O Domine, quis ego sum, ut loqui tecum audeam, cum tu sis Deus ille magnus, verus, omnipotens, immensus, aeternus, incomprehensibilis, angelicis etiam spiritibus admirabilis? O Domine, audi clamores meos, vide lachrymas meas, intellige mea suspiria, et succurre. Illa, quae te movit, ut me redimeres, pietas, te moveat etiam, ut me audias. Non pereat propter meam impietatem, quod in me operata est tua omnipotentia. Quando non eram, tu me fecisti; cum erravi, tu me in viam rectam reduxisti; cùm eram rudis et ignarus, tu me docuisti; quando cecidi, tu me sublevasti; quando stabam, tu me tenuisti; quando affligebar, tu me consolatus es; qando desperabam, tu mihi animum addidisti; quando dormiebam, tu me custodivisti; quando eram infirmus, tu me sanasti; quando veniebam ad te, tu me benigne recepisti. Et nunc igitur ad te clamo, Domine, audi me, Deus meus.

O dulcis Domine, non sufficit mihi, quod me sanas et me mundas, nisi ipse venias ad me et mecum habites, ut custodias me. Veni igitur ad me, Deus meus; propitiare mihi, dulcis Redemp-

tor mi; tene me tua manu, dulcis spes mea; amplectere me tuo amore, et ne sinas me aberrare à te, fortitudo et salus mea. O vita vitae meae, sine qua morior et ad quam suspiro. O vita viventium, vita te amantium, necessitas magna, quam patior, ad te clamare et vociferari me cogit. Veni, Deus meus, veni fortitudo mea, veni spes unica mea. Aperi, Domine, aures tuas meis clamoribus, et manus tuas meae paupertati. O excelse et gloriose Domine, noli contemnere, quod tu creasti ad imaginem et similitudinem tuam, quod tua regis providentia et tuo redemisti sanguine.

O melliflue Domine mi, da mihi oculos, quibus te cognoscam: qui namque te bene cognoscit, etiam amat te: et qui amat te, negligit se et te plus amat, quàm se. Et haec est, Domine, ratio, cur te parum cognosco. Veni igitur ad me, thesaurus meus pretiosissimus, veni desiderium animae meae, veni fortitudo vitae meae. O fons dulcedinis, cibus animae, lumen intellectus, illumina Domine caecum hunc; ciba famelicum hunc; sana aegrotum hunc; visita captivum hunc; vestibus indue nudum hunc; et hunc servum tot tyrannorum, quot passionibus exagitatur, quot peccata commisit, tui sanguinis lytro redime. Tu enim ipse, Domine, hominibus, creaturis miserrimis, praecepisti, ut haec opera misericordiae inter se exercerent: tu ergo, qui es abyssus misericordiarum, fac erga me, quod nos erga proximos facere praecepisti. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen. Ludovicus Granatensis.

Preces vespertinae.

Solve Deo gratias.

O clementissime Deus, Creator, Protector ac Redemptor meus, Te benedico, laudo, glorifico cum omnibus Angelis et Electis Dei gratiasque ago pro animi et corporis donis ac beneficiis mihi hodie et alias liberalissime collatis. Quid retribuam tibi, Domine, pro omnibus, quae retribuisti mihi? me totum et omnia, quae dedisti mihi, insuper et omnium Sanctorum laudis et amoris affectus, in unione Passionis ac meritorum Christi tibi pro merita gratiarum actione offero. Suscipe, o Pater aeterne, hanc oblationem meam; utinam majori affectu nunc et in aeternum cum omnibus creaturis te laudare et glorificare possem! Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Psal. 56. 8.

Pete lumen.

Veni s. Spiritus et emitte coelitus lucis tuae radios: illumina mentis meae tenebras, ut peccata hodie commissa negligentiásque meas videam, agnoscam et detester.

Discute mentem.

Quantas habeo iniquitates et peccata! scelera mea et delicta ostende mihi.

Omnes diei horas percurre, et vide, quid boni neglexeris, quid mali commiseris, cogitatione, verbo, opere.

Delicti veniam posce.

En Domine Deus, quid retribui tibi pro omnibus, quae retribuisti mihi, nisi peccata, negligentias et ingratitudines? Ah! quam doleo, quod te Deum, summum bonum meum, mihi super omnia dilectum, unquam offenderim! Tibi soli peccavi et malum coram te feci. Erravi, sicut ovis, quae periit. Respice in me et miserere mei. Ignosce, o Deus, ignosce per gemitus, lachrymas, Passionem et Mortem dilectissimi Filii tui Domini mei Jesu Christi.

Ecce, mi Jesu, in te posita est omnis spes mea. Te supplex oro, ut omnia scelera et delicta mea sacratissimo sanguini tuo immergas tuisque infinitis meritis compenses, quicquid meae satisfactioni deest; tu enim es propitiatio pro peccatis nostris.

Recide malum.

Iterumne peccabo? tuaque, ô Jesu, sanctissima vulnera et pretiosum sanguinem pro me effusum conculcabo? Pudet oculos in coelum levare, qui vitâ me indignum agnosco. Quid ergo imposterum? tene rursus offendam? haeccine peccata repetam?... istas occasiones non fugiam? rem tam vilem tibi praeferam?...... Dixi, nunc coepi; tuam mihi, o Jesu, dexteram porrige. Persequar inimicos, id est, peccata mea. Succurrite, o Coelites tuque imprimis, o misericordiae Mater, et tu, Angele mi custos vosque nominatim, o Patroni mei... adeste, adjuvate, ut omnia imposterum peccata evitem, potissimum istud... Confirma hoc Deus, quod modo operatus es in me. Ps. 67. 29.

APPENDIX.

Ratio meditandi.

Praeparatio remota.

Removet superbiam, hypocrisim, dissipationem; et adhibet virtutes oppositas, scilicet: mortificationem etc.

Praeparatio proxima.

Praelegatur meditatio pridie; expergefactus primo cogitet de meditatione facienda; sensa conformia foveat; accedat animo tranquillo.

S t a n s D e u m c o g i t a t i b i p r a e s e n t e m.

INITIUM.

A d o r a. G e n i b u s f l e x i s o r a t i o p r a e p a r a t o r i a.

Praeludia {
- Rei contemplandae recordatio brevissima.
- Constitutio loci.
- Petitio gratiae specialis, ut cognoscamus et velimus.

MEDIUM.

Memoria — Materiam meditationis in mentem revocat.

Intellectus

1. Quid considerandum ?
2. Quae conclusio practica deducenda ?
3. Quae motiva ? decens, utile, jucundum, facile, necessarium.
4. Quomodo hactenus observavi?
5. Quid in posterum faciendum ?
6. Quale impedimentum removendum ?
7. Quale medium eligendum ?

Voluntas

Affectus excitat per totam meditationem, corde plusquam ore.

Proposita format

- sub finem cujusque materiae practicae,
- practica,
- particularia,
- accommodata praesenti statui,
- fundata in motivis solidis,
- humilia,
- cum supplici petitione auxilii.

FINIS.

Recapitulatio — In qua proposita concepta confirmantur.
Tessera.

Colloquium	Directum ad Jes. Chr., B. V., aut alium Sanctum.

REFLEXIO.

Examen	Circa modum, quo meditatio peracta est.
Recapitulatio	Totius meditationis. Conclusionum practicarum . . . motivorum ... affectuum ... propositorum ... particularium illustrationum.

Modus recitandi Rosarium B. M. V.

Formato signo s. crucis appositisque verbis: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen; dicitur Credo in Deum etc:, Pater noster, etc. et ter Ave Maria, etc. Unicuique Ave additur post verba „fructus ventris tui Jesus" Petitio, et quidem

I Ave: Qui adaugeat in nobis fidem.
II „ Qui corroboret in nobis spem.
III „ Qui inflammet in nobis caritatem.

Deinde dicitur Pater noster, etc.; quo finito recitantur decem Ave Maria, et sic fit quinquies, ut nempe dicatur Pater noster, etc. et recitentur decem Ave Maria. Unicuique decadi post verba „fructus ventris tui Jesus" additur Mysterium, et quidem

In Rosario gaudioso

I decadi: Quem, Virgo, de Spiritu s. concepisti.

II decadi: Quem, Virgo, visitando Elisabeth portasti.
III „ Quem, Virgo, genuisti.
IV „ Quem, Virgo, in templo praesentasti.
V „ Quem, Virgo, in templo invenisti.

In Rosario doloroso

I decadi: Qui pro nobis sanguinem sudavit.
II „ Qui pro nobis flagellatus est.
III „ Qui pro nobis spinis coronatus est.
IV „ Qui pro nobis crucem bajulavit.
V „ Qui pro nobis crucifixus est.

In Rosario glorioso

I decadi: Qui resurrexit a mortuis.
II „ Qui in coelos ascendit.
III „ Qui nobis Spiritum s. misit.
IV „ Qui te, Virgo, in coelos assumsit.
V „ Qui te, Virgo, in coelis coronavit.

O. A. M. D. G.
